

# MARII LUPI

CANONICI BERGOMATIS


DE NOTIS CHRONOLOGICIS

ANNI MORTIS, ET NATIVITATIS

DOMINI NOSTRI

# JESU CHRISTI

DISSERTATIONES DUÆ.





ROMÆ, MDCCXLIV.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI.
SUPERIORUM FACULTATE.

SSm̃o Domino Noſtro

# BENEDICTO XIV.

## PONTIFICI MAXIMO

MARIUS LUPUS F.



UM Te Beatissime Pater in eo ſupremæ dignitatis faſtigio collocatum , tantaque omnigenæ eruditionis , & eximiæ ſa-

pientiæ amplitudine ornatum suspicerem ; ut quodcumque ingenii Opus, omni licet industria perfectum tibi offeri , sapientissimique Judicii tui censuram subire jure, & merito vereri debeat ; deterreri me maxime oportuit quominus breve opusculum , tenuitate ipsa contemnendum , neque eo , quo decuisset studio elaboratum ad Te deferrem : tamen id ut facerem , eo sum præcipuè consilio adductus, quod illud tibi omni ex parte debitum censerem . Nam si argumenti genus spectes , est illud in aureis tuis Libris sapientissimè , ut omnia soles, luculenterque pertractatum ; ut cum plurima ex ipsis decerpserim , ea Tibi omnino referenda videantur . Neque illud parvi faciendum puto , hos esse primos ingenii mei fructus ; ut Tibi eos, qui D.O.M. tanta cum religionis, pietatis, cæterarumque virtutum commendatione vices geris, primitias veluti

ti quaſdam afferre, ac dedicare æquum ſit. Quin & hoc etiam accedit, quod hi quicumque demum ſint fructus in ſolo quodammodo naſcuntur tuo. Etenim eas ego lucubrationes cum primum ad ſcribendum animum appuli exercitationis cujuſdam gratia commentus fui, ut haberem, quod in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Schola, quæ in Collegio Romano eſt publicè recitarem; Præceptore in primis hortante, plurimamque opem ferente: quæ quidem Schola Tuis Auſpiciis, Tuoque nutu primum inſtituta publico bono, atque utilitati inſervit: ut quidquid ex ea prodeat in Rempublicam Literariam commodi, Tibi potiſſimum tribuendum ſit. Hæc igitur cum ita ſint, in eam me ſpem errexerunt, ut facile in animum inducerem meum, Te binas haſce Diſſertationes humaniter ſuſcepturum. Etenim viris etiam ſummis, atque omni rerum abundantia paratiſſimis, & af-

fluen-

fluentibus, grata accidere consueverunt quæcumque sua ipsi opera, ut extarent effecerunt. Itaque Xenophontium Cyrum illum legimus sibi de arbusculis plaudentem, jactantiusque Lysandro Lacedemoni ingeminantem, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Quamobrem hanc Tu quoque B. P. opellam, quasi tuum aliquid benigne excipere, atque tueri ne dedigneris. Quod si mihi, ut in votis est, cesserit, unum reliquum erit, quod expetam; ut si minus, quam par erat his a Te paratis adjumentis me profecisse cognoveris, ignoscas ætati meæ, meoque hisce in studiis tirocinio indulgeas. Ego vero Tibi præcans fausta omnia, D. O. M. exorare non desinam, ut te diu, multumque incolumem servet.

IMPRI-

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

*F.M. de Rubeis Archiep. Tharsi Vicesg.*

# APPROBATIONES

Librum, cui titulus est *Marii Lupi Can. Bergomat. de Notis Chronologicis anni Mortis, & Nativitatis D. N. J. C. Dissertationes duæ*, jussus à Reverendissimo Patre Sac. Palatii Apostolici Magistro legi, & perlustravi, in quo nihil à recta Religione, aut bonis moribus absonum inveni; imò vero summum Cl. Auctoris ingenium, & in re difficili, ac multum, & sæpe quæsita perspicuitatem miratus sum. Die 6. Aug. 1744.

*Lucas Nicolaus Recchus.*

Legi, mandante Reverendissimo Patre Nicolao Aloysio Ridolfi S. A. P. Magistro *Dissertationes duas, de anno Mortis Christi unam, atque alteram de anno ejusdem Nativ.*, & nihil a Fide Catholica, & bonis moribus absonum offendi; sed omnia mihi visa sunt diligenter excussa, solide firmata, atque eruditè, & doctè pertractata; & propterea dignas, quæ in lucem edantur, censeo.

Ex Collegio Clementino hac die 27. Augusti.

*D. Jo. Franciscus Baldinus Cler. Regul. Congr. Somaschæ.*

*IMPRIMATUR,*

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX

# INDEX


## DISSERTATIO I.



## DISSERTATIO II.



DISSER-



# PRÆFATIO



Uod est a Sophocle (a) gravissimo Poeta dictum; longissimis temporum intervallis res occultari; deinde emergere rursus, atque in aspectum hominum, lucemque prodire: id ad eam facultatem, quam doctrinam temporis (b), & Chronologiam appellant præcipuè arbitror pertinere. Etenim res eas continet, quæ, tunc cum accidebant erant ante oculos omnium expositæ: postea monumentorum penuria remotæ a comuni cognitione, disputationibus doctorum hominum evolvuntur, educunturque e tenebris. Licet hoc in ea Chronologica quæstione intueri, quæ princeps, & caput est ceterarum passim in Ecclesiastica historia occurrentium; de anno Christi Nativitatis, & Mortis. Nimirum vetustissimorum, sacrorumque Scriptorum silentio, qui Christi res memoriæ mandarunt, quod Petavius (c) conqueritur factum est, ut notatio illa temporis ex hominum cognitione dilaberetur. Primus Justinus (d), qui quidem ad nos pervenerit, annum, quo Christus ante ejus



(a) In Ajac. flagellif.
ἅπαντ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.
πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν ὡς ἅπανθ' ὁ ζῶν καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.
Gellius lib. 12. cap. 11. Noct. Att. hos alios laudat.

(b) In quo differant explicat Petavius in prolegom. D.S

(c) Lib 12. D.T.

(d) In Apolog. quæ inscribitur 2.

tempora ortus ferebatur, subindicavit : deinde hoc disertius fecit Irenæus (a) cum de versionis Scripturarum antiquitate dissereret. Clemens postea Alexandrinus (b), Africanus (c), Tertullianus (d), cum celeberrimum Danielis de Christo venturo locum explicarent, huc necessario delapsi sunt ut tempus Christi Nativitatis, & Mortis significarent. Verum obiter illi, & veluti prętereuntes fecerunt. Epiphanius unus visus est in Alogorum, quos vocat, hęresi refutanda id diligentius persequi : sed ea addidit, quę plurimorum Doctorum hominum industriam, atque ingenium diu, multumque exercuerunt. Ante Epiphanium Eusebius cum Chronicon illud suum contexeret, natalem atque emortalem Christi annum designavit, brevius tamen, ut operis ratio exigebat, nihilque fere ad id quod affirmabat confirmandum tuendumque adjunxit : quod item alii fecere post ipsum antiqui Patres. Subsecutis ętatibus inter Scriptores, ut vocant, medii ęvi Chronicorum illud scribendi genus maxime receptum est : atque hi, ut Eusebium in eo opere sibi ducem proposuerunt; ita ejus sententiam videntur nulla inquisitione habita expressisse. Itaque in id fere conspirant omnes (e), ut anno Augusti 42. consignent Christi Nativitatem, mortem anno Tiberii 18. Hoc Freculphus Lexoviensis (f); hoc Ado Viennensis (g), Joannes Diaconus (h), Hermannus qui dictus est contractus (i), Hugo Flaviniacensis (k), Romualdus Salernitanus (l), Sicardus (m), Martinus Polonus (n), Martinus Minorita (o), Ricobaldus (p), Andreas Ratisbonensis (q), in Chronicis suis faciunt : item Farfense Chronicon (r), Chronicon Fossę Novę (s), Atinense (t), Vul-

(a) Lib.3. cap.21. al 25.
(b) Lib.1 Strom
(c) Ap. Hieronym. in cap.9. Danial.
(d) Advarf Jud. cap 8.
(e) Non desunt qui annos 41. cum Iranæo, sive Tertulliana exprimaot; ut Collect. Chron. ax Idacio tom 2. var. Canisii pag 621., & apud Schottum Hispan illustr. tom.4.; Bellonus de Vit. Patriarch. Aqoilei. tam.16. Collect Murat. pag 26.
(f) Floruit circa a 849. quo subscripsit Turonensi IV.
(g) Ejus Chron. axtat ad caleem. Oper. Gregor. Turon. edit. Paris. 1512., & 156., & in Bibl. PP.
(h) Fl Adonis ætata circa a.870. Scripsit Chron Neap. Eccl., quod extat parti 2 tom.2. Coll. Ital Scr. Murat.
(i) Fl. circa a.1040. tom.2. Var. Canis., tom.11. Bibl. Colon.
(k) Fl. circa 1120. tom.1. Bibl. M.S. Labbei pag. 75.
(l) Circa 1170. tom.7. Collect. Murat. pagina 46.
(m) Fl. c.1185 tom.7. Murat. pag 532.
(n) Fl. c.1250.
(o) Fl. c 1290. Chrcnicon sive *flores temporum* extat tom.1. corp hist. Eccardi pag.1566.
(p) Fl. eod. fere tamp. *compilatio Cronologica* habetur T.9 Collect. Murator. pag.205., & Eccard tom.1. pag.1239.
(q) Circa 1420. Eccard tom.1. pag.1933. & Bernard Pez. in Thesaur. Anecdot. part.3. tom 4 pag 277.
(r) Part.2 tom.2. Murat. a Gregorio Monacho Scriptum circa finem Sæculi IX.
(s) Tom.7 Murat. pag. 856.
(t) Ibid. pag.902.

Vulturnenſe *(a)*, Fiſcanenſe, Remenſe, Rotomagenſe *(b)*, Eluvacenſe *(c)*, Monachorum S. Pantaleonis *(d)*, aliaque id genus,quæ infinita repeririuntur apud Henricum Caniſium, Philippum Labbeum, Stephanum Balutium, Acherium, Martene, Pezium, Eccardum, Leibnitium, & Muratorium Italiæ noſtræ decus: quibus addi poſſunt qui Eccleſiaſticam Hiſtoriam uberius digeſſerunt Ordericus Vitalis *(e)*, & Ptolemeus Lucenſis *(f)*. Hi omnes Euſebii, aut eorum qui Euſebii veſtigiis inſtitere, auctoritatem afferre contenti, rem nequaquam ſibi examinandam, perpendendamque ſumpſere: quod vel ex eo conſtat, quod juxta diverſam Euſebiani Chronici lectionem diverſi ipſi quoque reperiuntur: & ſi ab eo diſcedunt aliquantum, ea innectunt, quę convenire cum aliis, quę poſuere non poſſunt *(g)*. Quamobrem liquet eſſe illos in hac quęſtione negligenter verſatos. Altera claſis Computiſtarum, quæ nominatur, apud Latinos invaluit a Sęculo viii.; qui de anno, quo Domini Incarnatio, vel Nativitas contigit, ipſi quoque diſſeruerunt *(h)*, Horum princeps a Petavio *(i)*, ſtatuitur Beda. Sed ante ipſum in hunc numerum referendus Dionyſius cognomento Exiguus, nomine atque eruditione clariſſimus: & apud Gręcos multi *(k)*. Hi tamen omnes nihil ferme, quod ſtudia eorum qualia fuerint in eo genere declaret ſcriptum reliquerunt; nec vero, ut ſuo loco oſtendemus accurate quidquam definire, aut conſtituere potuerunt. Itaque hactenus involuta jacuit hęc Chronologicę diſciplinę pręcipua pars; neque uberius, diligentiuſque exculta reperitur, Sed temporum longinquitas, quę eam occultaverat in lucem potuit aliquando proferre. Explicare eam aggreſſus eſt Sæculo xiii. Rogerus Baconus; ut ex ejus pręclaro opere conſtat *(l)*: deinde Sæculo xv. Paulus Burgenſis, & Alphonſus Toſta-



*(a)* Part. 2. tom 2. Murat. pag. 330.
*(b)* Omnia ep. Labbe. Tom. 1. Bibl. M.S.
*(c)* Part. 3. tom. 4. Theſ. Anecd. Pez pagina 759.
*(d)* Eccard tom. 1. peg. 752.
*(e)* Floruit circa an 1140. extat in collect. histor Normanniæ Andreæ Ducheſnii.
*(f)* Fl c. 1340. Collect. Murator. tom. 11. pag 746.
*(g)* Variant, teſte Pontaco Euſebii codices in ann Herodis. Lodenſis habet 31. alii 30. Sicardus quoque numerat 32. Hugo Flav 30. Idem addit Conſſ (quod non facit Euſeb.) Catulum (lege Camillum), & Quintillenum, qui coſſ. fuere a. er vulg. 8. Augusti 51. Anno Tiberii 18. aſſignat Conſules Cajum Caſ. IV. & Saturnium, qui Conſules fuere an er. vulg. 41 Claudii 1.
*(h)* Patet inter cæteros ex Anonymi libro de computo, quem edidit Murator. tom 3. Anecdot. pag 202. quem floruiſſe contendit circa an 810
*(i)* In Polegom. D. T.
*(k)* Ibid Græcorum Principem Petavius facit S Maximum.
*(l)* Opus Majus Londini edit. 1733. pagina 126. & ſeqq.

tus (*a*); tum anno 1516. Paulus Middelsburgensis Forosempronienfis Episcopus fuse eam editis libris 19. persecutus est (*b*), quem secuti eadem ætate Joannes Lucidus, & Petrus Pitatus, homines ipsi quoque in veteri Kalendario corrigendo occupati, hanc controversiam attigerunt (*c*). Hoc item fecerunt in fastis corrigendis, atque illustrandis Onuphrius Panvinius, in Ecclesiasticis Annalibus digerendis Baronius, atque in temporum emandatione Josephus Scaliger. Multum vero est quod Chronologia debet Joanni Deckerio, qui cancellos, quos sibi hactenus Chronologi circumdederant primus laxavit, viamque aperuit Kepplero, Antonio Cappello, Petavio (*d*) idem audendi. Joannes quoque Mariana (*e*), Joannes Hervvartus (*f*), Jacobus Salianus (*g*), Ubbo Emmius (*h*), Ægidius Bucherius (*i*) nonnihil in eam rem contulerunt. Nec vero contemnenda est opera, quam in hac expedienda quæstione posuere Gerardus Vossius (*k*), & Willelmus Langius (*l*); post quos omnes Jacobus Grandamicus (*m*), & Michael Senefchallus (*n*) hanc controversiam illustrarunt; præcipue Senefchallus qui plurima in eo argumento diligenter collegit. Nihil hic dicam de Antonio Pagio, de Cardinali Norisio: nemini enim est ignotum, quantum de universa Chronologia, & de hac Chronologiæ parte benemereantur. Quod etiam dictum volumus de erudito viro Bernardo Lamy. Deinceps vero tam multi inventi sunt, qui

eo

(*a*) Paolus obiit a. 1415., Testatus 1454. primus in *Scrutinio Scripturarum*, alter in *Defensorio*.

(*b*) Forosempronii edidit eo anno opus *de die Passionis Dominicæ*; cui veluti partem primam præmisit aliud opus lib. 14. *Paulinæ de recta Paschæ celebratione*.

(*c*) Joannes Lucidus Samotheus edidit ad calcem operis inscripti *Cronicon, seu Emendatio temporum ab Orbe condito usque ad a. Chr. 1515.* opusculum *Epitome Emendationis Kalendarii Romani*; cui aliud præmisit *de vero die Passionis Christi, ac tempore totius vitæ ipsius*. Petrus Pitatus Veronensis a. 1560. Scripsit pro Romani Kalendarii correctione ad Concilii Tridentini Patres; in quo opere tractatum secundum inseruit *semper Passionis Dominicæ diem*.

(*d*) Joannes Keplerus, sive Kepplerus (utroque enim modo legitur) a. 1613. edidit Theuthonica lingua commentariunculam, ut ipse vocat, *de anno Nativitatis Christi*, quam anno insequente latinam fecit, addiditque responsionem ad objecta Sethi Calvisii a. 1611. Eclogas Chronologicas scripserat, quæ editæ sunt Francofurti an. 1615. M. A. Cupellus edidit differt. de cœna Christi suprema, & de præcipuis vitæ ejus capitibus. Dionysius Petavius animadversiones ad Epiphanium edidit annum 1622. & libros de D. T. a.

[*e*] In tractat. *de die Mortis Christi & anno Consule o.* 1609.

[*f*] Nova, vera, & exacte ad calculum Astronomicum revocata Chronologia. Monachii 1612.

[*g*] T. 6. Annal. ad ao. Mondi 4052.

[*h*] Anno 1619. edidit Groningæ *opus Chronologicum novum*, in quo pag. 96. habet quest. *de vero Natali Christi, & de vero anno passionis ejusdem*.

[*i*] In opere *de doctrina temporum* edito Antuerpiæ a. 1634.

[*k*] In differt. de annis, quibus Christus natus, batizatus, mortuus edita primum Amstelodami a. 1643.

[*l*] *De annis Christi* lib. 2. Lugduni Batavorum a. 1649.

[*m*] *De die supremo, & Natali Christi quæstio Evangelica*. Fixe Andegavorum a 1661.

[*n*] *Quæstio triplex de anno, mense, ac die Christi nati, baptizati, & mortui*. Leodii 1669.

eo in argumento laborarent, ut nihil fuerit superiori ætate, atque hac nostra celebrius (*a*). Itaque illo interdum adducor ut verear fastidiosorum quorumdam hominum reprehensionem; quod rem tritam hominum sermone, atque a doctissimis viris diu, multumque versatam retractandam sumpserim. Habeo tamen quo me defendam, quodque hujusmodi reprehensoribus opponam, Isocratis prudentissimi profecto hominis judicium (*b*), qui tunc solum negat fas esse iterum de re aliqua sermonem instituere, quando temporibus ea apta, innexaque fuerit, quæ præterierunt: vel quando superioribus disceptationibus ita explicata est ac constituta, ut nihil addi præterea a quoquam possit; dum vero eumdem cursum res teneat, atque eodem fere in statu sit, sermonem instituendum, disputationesque ineundas affirmat. Jam vero tempus omne Chronologiæ excolendæ; cujus est hæc præcipua quæstio, convenire liquet; ac si fuit unquam ullum hoc maxime, quando præter illustres quatuor Accademias, immortali Benedicti XIV. beneficio præclarissimæ facultatis Historiæ Ecclesiasticæ, cujus administra quædam, & comes Chronologia censetur, patefactam in Gregoriano Collegio publicam Scholam, constitutamque ante biennium habemus. In qua ego jampridem auditor hanc controversiam elucidandam suscepi. Deinde nondum esse hanc tot doctorum virorum laboribus controversiam finitam declarant post eorum, quos nominavi virorum eruditissimorum operam, studia nostro hoc Sæculo in ea expedienda collata, in Germania a Nicasio Grammatici (*c*), & Joanne Heineccio (*d*); in Anglia ab Isaaco Nevvtono (*e*), Nicolao Mannio (*f*), & Petro Allixio (*g*); in Gallia a Joanne Vaillantio (*h*), & Honorato

(*a*) Omisimus Zarlinum, Origanum, Meslinum, Salmeronem, Henricum Philippi, Jacobum Tirinum, Jacobum Pintus, Natalem Alexandrum, Scelstratum, Gravesonium Ricciolium, aliosque ejusdem ætatis, ac Superiores, ne infiniti essemus in Scriptoribus recensendis, quos vel sumus sæpe inferius cum laude nominaturi; vel sunt commemoratis hactenus in hoc argumento minus celebres; vel cum historiam universam, & Chronologicam illustrent, aut Evangelium interpretentur, quivis per se intelligit eos hanc quoque partem attingere.

(*b*) Isocr. in panegyr. τότε γὰρ χρὴ παύεσθαι λέγοντας, ὅταν ἢ τὰ πράγματα λάβῃ τέλος, καὶ μηκέτι δεῖν βουλεύεσθαι περὶ αὐτῆς, ἢ τὸν λόγον ἴδῃ τις ἔχοντα πέρας ὥστε μηδεμίαν λελεῖφθαι τοῖς ἄλλοις ὑπερβολήν· ἕως δ' ἂν τὰ μὲν ὁμοίως ὥσπερ πρότερον φέρηται, τὰ δ' εἰρημένα φαύλως ἔχοντα τυγχάνῃ, πῶς οὐ χρὴ σκοπεῖν καὶ φιλοσοφεῖν.

(*c*) Differtat. de epochis Mundi conditi & reparati Ingolstadii 1734.

(*d*) Syllog. var. opuscul.

(*e*) Cap. 11 obsv. in Daniel. Proph.

(*f*) In Differt. edit. Londini a. 1734.

(*g*) Diatriba edita Londini a. 1710.

(*h*) Tom. 4. monum. Reg. Acad. Inscript.

rato a S. Maria *(a)*; in Italia a Francisco Blanchino *(b)*, & Thoma Monelia *(c)*; ut eam plane vigere ubique terrarum, atque agitari constet. Itaque illud concedamus oportet, adhuc recentiorum industriæ patere locum. Enim vero quis est, qui non fateatur in qualibet sententia durum aliquid residere, quod subigere quodammodo, atque emollire oporteat? Addo etiam, etsi non eodem loco res sit, quo superioribus temporibus, minus tamen esse profectum in hac re, quam poterat a summis ingeniis, atque a diuturnis eorum laboribus expectari: cujus rei potissimum duas reperio esse causas; unam, quod opiniones omnes maximis difficultatibus impeditas cum viderent, novas cudere, vel desertas, & prope jam depositas exsuscitare unicè studuerunt; alteram quod ita in hanc controversiam ingressi sunt homines eruditi, atque in aliis facultatibus exercitati, ut solum quam quisque profiteretur sive artem, sive scientiam ad hanc quæstionem finiendam admoveret. Itaque Honorato in traditione cooptanda inter criticas regulas occupato, quam traditionem putavit, ea ad rem conficiendam unicè visa est idonea: Vaillantius antiquitatis studiosissimus veteribus nummis decernere maluit: Nevvtonus Mathematicus Paschale Plenilunium dumtaxat ad sententiam suam stabiliendam, ad cæteras evertendas produxit, atque is est omnium fere mos; ut ea, quæ sibi favent proferant, reticeant, quæ non faciunt, vel præconceptæ opinioni adversantur. Atqui ubi certissima argumenta, demonstrationesque non suppetunt, & probabilibus rationibus, ac conjecturis agendum est, omnium vis est exploranda, ut ex contrariis eligantur, quæ sunt probatissimæ; quæ simul conspirant, conjunctim reputentur, si permovere animum, & persuadere possint: denique bona fide omnia proponantur, singulaque, ut dicitur, in suo lumine collocentur. Itaque non unum dumtaxat spectandum est; sed ad plura animum adiicere necesse est eum, qui rite velit in hac Chronologica quæstione versari: ea sunt, quæ Chronologici caracteres, sive caracterismi, & notæ vulgo nominantur; habenturque in hac facultate argumentorum veluti sedes, &, quemadmodum appellant, loci. Etenim tempus unumquodque, modo investigari possit, his veluti certis impressum est notis,

quæ

*(a)* Lib 5. Animadv in reg. Critic. diss. 1.
*(b)* Tom. 2. Anastas. opusc. 4.
*(c)* Dissert. Romæ edit. 1741.

quæ illud a cæteris distingunt ; atque secernunt ; quarum omnium consideratio maxime Chronologo suscipienda est : Nam sæpe inter se pugnare videntur : itaque, si conciliari non possint, quæ earum certior sit, probatiorque, videndum est : Sæpe etiam, si separatim sumantur, nihil conficere videntur ; propterea quod tempus laxioribus, quam oporteat terminis circumscribunt. Quamobrem, quod Geometræ faciunt ut ex pluribus collatis Geometricis locis, quorum unumquodque quæstioni finiendæ non esset idoneum id obtineant, quod volunt ; idem est in omni Chronologica investigatione præstandum ; ut ex iis, quos dixi caracterismis magis idonei eligantur, qui committantur simul, veritasque, si possit, quodammodo extundatur. Ab hac ratione cum longe abierint plurimi summi viri, mirum est si tantis ingeniis atque laboribus par fructus nequaquam visus est respondere, & veritas densis involuta tenebris, atque in profundo, ut ille (a), ajebat demersa hominibus occultatur ! Erues veros tu, inquiet aliquis ? Ego vero conabor ; atque in hac implicatissima controversia ita versabor, ut nullius sententiæ patrocinium suscipiam. Deinde ea utar metodo; ut quæ ad designandum Christi vel emortualem, vel natalem annum Chronologicæ notæ inventę sunt proponam in medium, atque excutiam omnes : harum unaquæque quam vim, & quasi momentum habeat ; quid elici ex ea ad quæstionem decidendam possit ; quid inutile videatur, explicabo. Optime enim vir in Chronologia summus Petavius (b) admonuit, maximam hac in re difficultatem ortam ex eo, quod Chronologi, cum capita quædam certa judicaverint, quæ erant ipsa incertissima, circumscripserunt se nimium angustis finibus, & adegerunt veluti in brevia, quæ præternavigare tantis laboribus non potuerunt.

Atque unde hujusmodi notæ promendæ sunt : nimirum hoc erat, quod ipso aditu disputationis aperiendum videbatur. Et secundum quidem Canonicos libros, quos ubique semper summa veneratione prosequi, & hic in primis consulere debemus; vetera Ethnicorum monumenta collocanda videntur, quæ rebus Christianæ Fidei, atque Historiæ præsertim, ac Chronologiæ subservire, & antiqui Patres iis prolatis docuerunt, & Catho-

(a) Democritus ap. cit. a. & r. Academ.

(b) Lib. 12. D.T. cap. 9.

tholici recentiores, ut male Heineccius *(a)* putavit non negligunt, quod, vel inspectis Huetii, Norisii, Pagii operibus abunde constat: atque eorum pleraque ex ipsis PP. operibus eruere dumtaxat possumus. Quamobrem horum sedulo distinguenda loca sunt, & quasi personæ, quas diversas aliquando sustinent. Etenim modo Doctores agunt inter Christianos, & sensa ipsorum propria explicant, atque annos Christi de ingenio suo investigant; quod fecisse Epiphanium supra diximus: modo vero conveniunt Ethnicos; atque ut Christum extitisse probent Imperatorem, aut Consules, sub quibus, vel natus, vel passus est, aliosque illorum annorum caracteres allegant de vetustissimis monumentis, quæ extabant ea ætate; nunc vero desiderantur, credo, bellorum furore vastatis Provinciis, incensisque Urbibus. Tunc autem constat omnino audiendos esse, & summam obtinere auctoritatem; nec vero tam PP. ipsos, quam vetera illa monumenta adire nos ac perlustrare oculis arbitrandum est. Ut vero facilius internoscere utrumque liceat; quando nimirum illi ex sententia sua aliquid proferunt, & quando testimonio utuntur publicorum monumentorum, hos quasi canones adhibere possumus: erit autem ille primus; si, quemadmodum diximus, sint in superstitionibus Ethnicis refutandis occupati: nihil enim valeret, quod ipsi ingenio suo conjectando collegissent; neque hujusmodi argumenta aliquo in loco ab Ethnicis hominibus haberentur. Alter est; si idem plurimi PP. affirmant; atque illi eodem contextu orationis variant nihilominus inter se de aliis, quæ ad rem eamdem pertinent: indicatur enim majorem aliquam auctoritatem spectasse, quam quæ in uno, vel altero antiquiori scriptore reperitur. Nam si ab alio alius mutuatus est, cur non omnia descripsit? cur fidem atque auctoritatem non æque in iis omnibus, quæ ad eamdem rem pertinebant, erantque simul proposita viri prudentes constantesque approbaverunt. Tertius; si multi id doctissimi atque antiquissimi PP. producant, quod in speciem adversari sacris literis videatur; at in eo laborent ut ostendant illis minime repugnare. Nunquam enim adducerentur, ut ea exciperent, atque defenderent, nisi essent hujusmodi, ut negari a prudenti viro non possent, & tabulas, fidem

(a) Loc. cit.

fidemque publicam testem haberent. His ea addantur, quæ de auctoritate, quam multitudo scriptorum facit Langletius (*a*), Honoratus (*b*), & qui instar est omnium Benedictus XIV. (*c*) doctissime, sapientissimeque disseruerunt. Erat hoc omnino animadvertendum propter eos, qui in Chronologicis rebus PP. auctoritatem elevant, neque proferri ad hujusmodi controversias componendas sinunt. Est etiam cujus fidem hac in quæstione sartam tectam volumus, Josephi; quem nonnulli contumeliis onerant, maledictisque proscindunt, ac nebulonem, vaniloquum, mendacem centies una in oratione appellant. Hi si Josepho succenseant in iis, quæ Judæorum antiquam Historiam spectant, vel Christianam Religionem propius attingunt, nihil nobis nocent: itaque eos sine reprehensione dimittimus. In Herodis historia, Pilati, Syriæ Præsidum, vel Procuratorum rebus gestis recensendis, aut notando tempore enormiter deceptum esse, vel alios decipere voluisse, hoc vero pernegamus. Etenim sive omnia, sive horum pleraque e Nicolao Damasceno hausit, qui fuit Herodi non solum æqualis, sed etiam familiaritate conjunctissimus: itaque optime, quæ scripsit cognoscere potuit. Deinde ea protulit, *quando adhuc vivebant multi, per quos hæc certissima, & apertissima esse ostenderentur*, ut verbis utar Tychonii illius apud Augustinum (*d*): vel extabant, patebantque omnibus publicæ tabulæ; ut in rebus adeo pervulgatis, testatisque mentiri, hominis fuisset nimium imprudentis, atque insani. Non ergo id voluit, ut alios falleret, quos certe in errorem inducere non potuisset. Præterea causa non extabat, cur in rebus hujusmodi mentiretur, quid enim spectare potuit in annorum Præsidis alicujus numero, vel contrahendo, vel producendo, vel epocha Hærodiani Regni pervertenda? Quod si in his, vel erravit, vel mentitus est: cur obtrectatorum suorum, quorum sane plurimos habuit nemo hoc potuit demonstrare? cur ut scriptor nobilis summis honoribus affectus est, ut etiam Statua in Romano Foro homo Judæus teste Hieronymo (*e*) donaretur? cur ille, ut de se narrat (*f*) tantam habuit veritatis fiduciam, ut primis omnium Vespasiano, & Tito obtulerit belli Judaici, quod bellum ipsi administraverant, libros; deinde Romano-




(*a*) Methode pour etudier l'histoire cap. 17.
(*b*) Tom. 1. animadv. in reg. Crit. diss. 9.
(*c*) Lib. 3. de Canoniz. SS. cap. 8.
(*d*) Ep. 93. al. 48.
(*e*) In Catalog.
(*f*) Lib. 2. contra Apionem.

rum multis, qui rebus, quas narrabat interfuerant, quos certè noluisset impudentiæ suæ testes; denique Archelao, Herodi Agrippę, qui, testimonium ejus fidei honorificentissimum tribuerunt? cur epistolas 62. Agrippa ad confirmanda ea, quæ Josephus scripserat exaravit; Titus vero oblatos sibi libros manu sua subscripsit, atque in Bibliotheca publicè ut asservarentur præcepit (*a*)? Additur aliud veritatis argumentum certissimum: nam, ut idem adversus Apionem ait (*b*); qui mendacia componunt nunquam contingit ea scribere, quæ cęteris Scriptoribus consentiant. Cedo autem (provocationem facio cum Petavio) (*c*) veterum Scriptorum unum aliquem, qui ea scribat, quæ apertè Josepho adversentur; nec vero ipse magis mendacii, aut falsitatis suspicione laboret? Sed deffensores nactus est Josephus viros doctissimos, ut nostra oratione non egeat. Eum defendit egregie Deckerius (*d*); fusius multo contra Anti-Josephorum, ut ipse vocat, factionem, quam suo tempore ortam esse dicit, Seneschallus (*e*); nec desunt, qui universim fraudis eum, ejusque libros liberare contendant (*f*). Ex Josephi laudatoribus; ut vetustiores omittam Hieronymum (*g*), Sozomenum (*h*), Cassiodorum (*i*), Chronici Alexandrini Auctorem, quique eum veritatis amatorem communi consensu pręedicant Isidorum Pelusiotam (*k*), Theodorum Meliteniotam (*l*), Suidam (*m*), Jornandem (*n*), eum mirifice commendat Petavius (*o*), & Eusebii testimonio Schelstratus (*p*); denique Cardinalis Norisius, qui rebus hujusmodi vult, Canonicis Scriptoribus exceptis, esse omnibus anteponendum (*q*). Nos virorum doctissimorum sententiam libentes sequimur. Si quis est, qui aliter sentiat; ne exceptionem hanc faciat, cum Josephum eorum, quæ dicimus testem a nobis pro-

(*a*) Joseph in Vita sua.
[*b*] Lib 1.
[*c*] Lib 11. cap. 4. D.T; *ut facile est Josephodicam erroris impingere; ita rerum peragere, ut convincere perdifficile est*
[*d*] Annot. 6. ad thes. 10. part 1.
[*e*] Q. 1 cap. 3. factionem hanc renovavit Antonius Vandalen. lib. advers histor. Arist.; Petrus Bail tom. 1. Dictionar.; Petrus Brinch in exam. hist. Joseph: ex Catholicis In Josephum iniquiores sunt Salianus in Annal Possevinus in App., Simonius in Epist., Calinus
[*f*] Franciscus Biacca contra Calin.
[*g*] Epist ad Eustoch. de custod. Virgin.
[*h*] Lib. 1. hist. cap. 1.
[*i*] Instit. divin. litter. cap. 17.
[*k*] Ep. 75. 4.
[*l*] In Proem. Astr.
[*m*] In lex.
[*n*] De reb. Get. cap. 4. *Josephus quoque Annalium relator verissimus, dum ubique veritatis conservat regulam &c.*
[*o*] In animadv. ad Epiph. pag. 120. *ubi hac attentius evasit, qua ad Josephum evertendum validissima videbantur. nihil atroci illa castigatione iniquius est visum &c* & D.T. lib. 11.
[*p*] Antiqu. Eccl diss. 1. cap. 2.
[*q*] Diss. 2. in Cenotaph. Pisan.

productum viderit, removeatur a disputatione nostra; nihil quicquam cum eo nobis est negotii; cæteri Josepho æquiores retineantur, quos quidem conatus hos qualescumque nostros non improbaturos esse confidimus. Atque hæc præmonere necesse fuit, ut consilium nostrum quale esset, constaret; præterea ne ex incertis, suspectisque monumentis, quasi ex impuris fontibus characteres hos, quos perpendendos suscepimus hausisse ipso dissertationum nostrarum aditu culparemur.





# DISSERTATIO I.

## De Notis Chronologicis ANNI MORTIS D. N. JESU CHRISTI.



OLENT nobiles Chronologi, atque in his controversiis exercitati inquisitioni de anno Nativitatis, illam de anno Mortis præmittere; sive quod insigniores characteres habet; sive quod intelligi sine istis illi non possunt. Quamobrem Deckerius admonuit; *anno illo, quo Cruci suffixus est* CHRISTUS *semel collocato, sponte sua sequi omnia*. Idem post Deckerium sensit Nicasius Grammatici; eamque ipse methodum servandam sibi proposuit in Dissertatione sua; quod etiam Jacobus Grandamicus, aliique fecerunt. Nos a virorum doctissimorum monitis discedere nolumus. Itaque de anno Mortis hac prima Dissertatione agimus; cujus hæ sunt notæ præcipuæ; Paschale plenilunium, cum feria hebdomadis, & mensis dies, Danielis hebdomadæ, sabbatum secundo-primum, & dies Festus medians, Olympiades, Consulatus, Tiberii Imperium; quibus

aliæ

aliæ adcenſentur minus præcipuæ. Sed antequam eas aggrediamur ſententiæ celebriores enumerandæ; quæ quidem ad decennium excurrere, atque intra hoc tempus CHRISTI mortem collocare videntur. Nam anno æræ vulgaris 26. CHRISTUM mortuum contendit Mannius (*a*); anno 28. Blanchinus (*b*), & Joſeph Stampa (*c*); anno 29. M. Antonius Cappellus (*d*), Voſſius (*e*), Henſcheuius (*f*), Pagius (*g*), Schelſtratus (*e*), Honoratus a S.Maria (*e*), Nicaſius Grammatici (*e*), Joannes Clericus (*h*), aliique (*i*) plures; an.30. Monelia (*e*), & Jacobus Bettaſius (*k*); an.31. Deckerius (*e*), Kepplerus (*e*), Petavius (*e*), Bucherius (*e*), Tirinus (*l*), Seneſchallus (*e*); an.32. Baronius (*m*), & Nobilius; anno 33. Lucidus (*e*), Panvinius (*e*), Genebrardus (*n*), Scaliger (*e*), Calviſius (*o*), Pererius (*p*), Salianus (*e*), Ricciolius (*q*), Labbeus (*r*), Brietius (*ſ*), Wendelinus (*t*), Uſſerius (*u*), Langius (*e*), Natalis Alexander (*x*), Tillemontius (*y*), Gardeboſch (*z*), Calmet (*aa*), Baſnagius (*bb*); anno 34. Gerardus Mercator (*cc*), & Nevvtonus (*e*); anno 35. Campanus (*dd*), & Joannes Regiomontanus (*ee*); anno 36. Paulus Middelburgenſis (*e*). Cęteras minus celebres, atque Auctorum paulo antiquiorum omittimus, quorum aliqui mortem CHRISTI ſtatuerunt anno æræ vulgaris primo; ut Manfredus, & Antonius Dulciatus apud Joannem Lucidum; aliqui anno 12.; anno 24., aut 25. Philippus Solitarius (*ff*); contra alii apud Bedam, Petavium, Seneſchallum anuo 42. CHRISTRI mortem collocarunt, inter quos idem Seneſchallus recenſet S. Maximum, (quod tamen a Pagio (*gg*) acriter negatur), Georgium Syncellum, Annianum, Theophanem, Joel Chronographum, Anonymum Patriarcham Antiochenum, Nicetam Pectoratum, Nicephorum Patriar-

(*a*) In Diff. ſup. cit.
(*b*) Tom.4. Anaſt. opuſc.4. & in Chron.
(*c*) In continuat. faſtor. Sigo. pag.613.
(*d*) De Cœna Chriſt. ſup. loc. cit.
(*e*) Oper. cit.
(*f*) In Propyl. exercit.2.
(*g*) Ad an.34. Baron.
(*h*) In hiſtor. Eccleſ.
(*i*) Hos inter Murat. in Annal. Ital. ad nunc a.
(*k*) Contra P. Meliton.
(*l*) In Chronic.
(*m*) Ad an.34.
(*n*) In Chron.
(*o*) In oper Chronol. pag.307.
(*p*) Lib.12. in Daniel. qu.7.
(*q*) In Chron. raſorm lib.8. cap.18.
(*r*) Part.1. Chronol. hiſtor. pag.147.
(*ſ*) Tom.2 Chronic. univerſ.
(*t*) In opuſc.
(*u*) In Annal. veter., & nov. Teſtam.
(*x*) Sec. 1. diſſer.13
(*y*) Not.26. in Vit. Chr.
(*z*) H. E. lib.1. qu.4.
(*aa*) Commen. in Evang.
(*bb*) In Annal. Politico Eccleſ.
(*cc*) In Chronol. temp.
(*dd*) De comput.
(*ee*) In Kalend.
(*ff*) Lib 3 dioptræ cap.8.
(*gg*) In diſſert. de Periodo Græco-Rom.

Patriarcham Constantinopolitanum: ultra etiam hos terminos alii distulerunt apud Josephum de Voisin (*a*).

## §. I.

## *De Paschali Plenilunio.*

PRrimos, quos recensuimus characteres Beda (*b*) elicit ex Evangelio: *nam quod Dominus*, inquit, *decimaquarta Luna, Feria sexta, in Crucem ascenderit, & una Sabbatorum idest die Dominico resurrexerit a mortuis nulli licet dubitare Catholico.... quod autem VIII. Kal. Apriles crucifixus, VI. earumdem die resurrexerit multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum*. Quamobrem omnino res confecta videtur: est enim problema, ut vocant, determinatum; data feria, die mensis, & die plenilunii primi post vernum æquinoctium intra annorum numerum non longissimum annum invenire: sed rationibus subductis inventum est problema impossibilis solutionis. *Anni in toto cyclo Dionysiano*, inquit Petavius (*c*), *tres omnino characteres illos habent, nam lunarem cyclum oportet esse XIII., literam vero Dominicalem B.; quod in annis cycli contingit* 13., *vel* 260., *vel* 450., *qui sunt anni* CHRISTI 12., 259., 449. Et aliquos quidem ita transversos egit characterum horum observatio; ut sus deque trahere omnia, Chronologiam universam perturbare, cæteras Chronologicas notas negligere non dubitaverint. Itaque dixerunt Dionysium 22. annis tardius Christianam æram auspicasse; voluerumtque anno ejus æræ 12. CHRISTUM mortuum. Ita Sigebertus (*d*), Marianus Scotus (*e*), Matthæus Paris (*f*). Paulo vero Forosemproniensi hæc ita primo arrisit, ut post longissimam probationem (*g*) addiderit id se per somnium a Paulo Apostolo cognovisse: quamquam deinde in consequentibus libris (*h*), contempta revelatione sententiam mutavit, & communem æram biennio tardius cœpisse docuit; ut sane mirer

(*a*) In not. ad pag. Raim. part. 2. cap. 8.
(*b*) Lib. de temp. rat cap 40.
(*c*) Lib. 12. D. T. cap. 4
(*d*) Ad Ann. 532. , & 15. 6.
(*e*) Ad Ann. 532.
(*f*) Ad Ann. 526.
(*g*) Part. 2 lib 10.
(*h*) maximè lib. 13.

rer inventum esse postea, qui Pauli commentum illud serio tueretur (*a*).

Quod si de duobus tantum characteribus loquamur omisso tertio; hi quoque ægre inter se componi posse videntur. Idem Forosemproniensis (*b*) rationem inivit pleniluniorum Paschalium ab anno CHRISTI 30. ad 40., invenitque Lunam 15.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Anno | 30 | Aprilis | 6. | Feria | V. |
| | 31 | Martii | 26. | | III. |
| | 32 | Aprilis | 14. | | II. |
| | 33 | Aprilis | 3. | | VI. |
| | 34 | Martii | 23. | | III. |
| | 35 | Aprilis | 11. | | II. |
| | 36 | Martii | 30. | | VI. |
| | 37 | Martii | 19. | | IV. |

Idem invenit Hirianis tabulis usus Nicasius Grammatici. Est enim astronomicarum rerum scientibus notissimum, quamquam Alphonsinæ tabulæ, quas Forosemproniensis adhibuit sint nostris hac ætate minus accuratæ, tamen minorem esse aberrationem illam, quam hic officere quicquam possit. Ante hos annos nos ex Cassinianis tabulis invenimus Lunæ 15.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Anno | 26 | Martii | 22. | Feria | I. |
| | 27 | Aprilis | 9. | | IV. |
| | 38 | Martii | 29. | | II. |
| | 39 | Martii | 18. | | VI. |

Quamobrem constat tria illa plenilunium, Feriam sextam, Martii diem 25. omnino componi non posse; duo vero Feriam VI., & plenilunium concurrere dumtaxat an. 29., 33., & 36. ex iis, intra quos annum Dominicæ Passionis celebriores sententiæ concludunt.

At enim plenilunium, quod astronomicis computationibus obtinuimus, nimium arctè devinctum est ei tempori, quo revera accidit; communis vero ratio, & civilis usus laxius aliquanto spatium permittere videtur. Ita sane arbitror; idemque sentiunt viri docti; qui, nec plenilunia adeo exactè tunc temporis computasse Judæos putant, nec nobis ea ad rigidiores Astronomorum leges exigenda. Itaque in id incumbunt, ut modum investigent, quo ad ea obtinenda Judæi utebantur.

(*a*) Casaubonus contra Baron. exercit. 16. ad An. 34., contra quem disputat Petavius In animadvers. ad Epiphan. pag. 147.

(*b*) Lib. 5. cap. 6.

tur. Tres video excogitari posse rationes ad civilia, quæ vocant, plenilunia indaganda utiles: prima per motuum mediorum supputationes ex astronomicis tabulis; altera per cyclum; tertia per observationes neomeniarum, vel pleniluniorum. Quod primam pertinet, eam non puto Judæos adhibuisse: nihil enim reperimus, vel in Rabinorum libris, vel in veterum Scriptorum monumentis, quod usum hujusmodi ab Hebræis usurpatum testetur; & quamquam usurpaverint, nihil nos inde juvaremur. Etenim necesse esset habere tabulas eas ipsas, quibus utebantur, quas certum est fuisse ab accuratissimis hujus temporis longe diversas: at illis caremus. Restat ut per cyclum, vel per neomeniarum observationes determinasse plenilunia dicamus. Neomeniarum visione id præstitisse censent Rabini apud Bochartum (*a*); et Joannes Seldenus (*b*) utramque eorum sectam cum Thalmudicorum, tùm Scripturariorum convenire in eo demonstrat. Langius (*c*) etiam id probare nititur Philonis (*d*) testimonio, & antiqui (*e*) Scriptoris apud Clementem Alexandrinum, qui Judæos negat nisi Luna apparuerit agere Sabbatum, quod dicitur primum; aut agere neomenias, aut azyma, aut festum, & magnum diem. Præterea in hanc sententiam descendunt Panvinius (*f*), Salmeron (*g*), aliique. Multa tamen obiiciunt Bucherius, & Scaliger; atque illud in primis; qui feri potuisset; ut tot millia Judæorum tantis locorum intervallis, in depressis vallibus, in locis Septentrionalibus neomeniam recte statuerent, aut a Judæa nuntium expectare deberent? Nam quæ de facibus apponi solitis ad id nuntiandum Rabini tradunt, presertim Maimonides (*h*), & Thalmudici Doctores novitium inventum censetur, vel etiam fictitium a viris doctis. Quamobrem ad Paschalis temporis constitutionem cyclo usos Judæos contendunt Serarius (*i*), Joannes Mariana (*k*) aliique quamplurimi: ex antiquioribus id significare videtur Beda (*l*): favet etiam

(*a*) In Hierosolco lib. 2. cap. 50.
(*b*) In differt. de Kalend. Judaico.
(*c*) Lib. 1. de Ann. Chr. cap. 9.
(*d*) νουμηνία γὰρ ἄρχεται φωτίζειν αἰσθητὸν φέγγα σελήνην ἥλιος,
(*e*) Lib. 6. Strom. καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὐδὲ νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν.
(*f*) In Fast. ad Ann. V. C. 786.
(*g*) Tom. 1. Proleg. 18.
(*h*) De confect. neomen. cap. 3.
(*i*) In cap. 3. Josue qu. 27.
(*k*) De die Pass. Chr. cap. 15.
(*l*) De rat. temp. cap. 43.

etiam perpetuus Christianorum mos ea ratione investigandi Paschalem diem (*a*), quem innuere videtur etiam Philastrius (*b*); prætereа Quartadecimanorum nonnullos doctiores (nam plures eorum classes fuerunt, quas Petavius recenset) (*c*), qui Judæis perpetuo in Paschatis celebratione adhærebant apparet cyclum quemdam esse secutos; si bene ea perpendantur, quæ de his Eusebius habet, Socrates, Sozomenus, aliique antiqui Scriptores. Certe Montanus cyclum ex octo contextum annis habebat teste Sozomeno (*d*).

Thomas Vincentius Monelia Christi mortem collocans anno æræ vulgaris 30., scribit (*e*) causæ suæ id magno esse adjumento, quod cœlestes motus cum scriptorum veterum monumentis conspirent pro anno hoc 30., & subjungit *nemo inficiatur hoc anno, quem propugnamus lunam quartamdecimam primi mensis incidere in feriam V., & quintamdecimam, sive Azimorum festum diem in feriam VI.* Si de astronomica quartadecima,& quintadecima sermo sit,inficiantur omnes quotquot res hujusmodi callent;& veritas ipsa contradicit. Nam supra ex Forosemproniensi vidimus decimamquintam cadere in Aprilis diem 6., Feria V.; & ex tabulis Cassinianis elicitur novilunium mense Martio anno æræ vulgaris 30. (*f*) die 22.hora post meridiem 5.min.54.sec.49.Sed cyclicam opinor quintamdecimam Vir doctissimus intellexit (quamquam,ait,id ex tabulis Astronomicis eruisse); Itaque postea (*g*) Blanchinum (egregium sane Astronomum,putatoremque diligentissimũ) (*h*) reprehendens, quod non recte paschata consignet tabulam ipse exhibet quartadecimarum Paschalium ab anno 28. ad 33.Cycli Judaici,ut ipse profitetur,præsidio. Vellem tamen nobis indicasset quis ille sit

C Judai-

(*a*) Ut constat ex Canone Paschal. sculpto in Cathedra statuæ S Hippolythi inventæ an.1551. in agro Verano, & in Vaticanam Bibliothecam translatæ, quem Canonem edidit Gruterus, illustravitque Scaliger, Bucherius, & omnium ubertime Blanchinus: ex Anatolio apud Euseb l.7. H.E cap.32., de quo multa Petavius in Epiph. pag 288.; & Ambrosio Epist.83. ad Episc. Æmilium: ex Beda lib. de Rat. compor cap.12, & lib de Temp. Rat cap.42; & Histor. lib.5. cap.22.; ex Victor. Aquit. apud Bucher.: denique ex Petav. lib 2. D. T. cap 63, aliisque,qui de cyclorum Paschalium antiquitate agunt.

(*b*) Hæres 38. *sunt, & qui de die Pascha superrima ambigunt, asserentes 14. luna celebrandum esse Pascha, non sicut Ecclesia Catholica celebrat...., & ex hoc errore non cognoscunt diem Pascha Domini nostri verum, & salubrem unum orbi terrarum statutam, & confirmatam a Domino cursu numerali luna, mensibus, & embolismis, & cum hac non computant, ignorant quid celebrant.*

(*c*) Lib 2 D T. cap 58.

(*d*) Lib.7 H. E. cap.18.

(*e*) Dissert. de ann. Chr cap 4. num 25.

(*f*) Non licet hic supput. subnectere, quam extrema diss. si locus superérit dabimus.

(*g*) Cap.5. num.39

(*h*) Ut constat ex observationibus circa Planetam Venerem in lib.; *Hesperi, & Phosphori nova phenomena* Romæ 1728; & observationibus Astronomicis, & Geographicis collectis ab Eustachio Manfredi Veronæ 1737.

Judaicus Cyclus: nam in vulgari illo (quemadmodum constabit eos consulenti, qui hæc diligenter tradiderunt Sebastianum Munsterum (a), Nicolaum Mulerum (b), Guldinum (c), Petavium (d), Ricciolium (e) anno 30., quo CHRISTI mortem ille consignat caput anni, sive neomenia Tishri incidit in Feriam III. die 27. Septembris; adeoque neomenia Nisan, & quintadecima Paschalis Sabbato: est enim communis, ut vocant, & ordinarius annus. In eo vero Judæorum cyclo, quem ex Epiphanio Bucherius producit (f), fuit quintadecima Paschalis die 2., vel 3. Aprilis (dies duos exhibet ob incertum, quod putat, neomeniæ tempus) Dominica die, vel Feria secunda. Est alter Judæorum cyclus, quem ex Rabbi Eliefer proponit Morinus (g) huic Bucheriano simillimus. Est alius, quem explicat Henricus Dodvvellus (h), atque huic fortè competit, quod Monelia affirmat, ut Paschale plenilunium die 7. Aprilis concurrat cum Feria VI. anno 30. At idem cyclus hic est ac Calippicus; quod, credo, Monelia nolet; & si velit, nescio an satisfacturus Petavio (i) sit acriter contra Scaligerum depugnanti. Atque hæc est altera gravissima, nec a quoquam evoluta quæstio; quem ex hujusmodi cyclis olim adhibuerint Judæi; si cyclus a Judæis, quod multos supra negare vidimus, est in Paschali die constituendo adhibitus? Nam vulgaris, quem primo loco nominavi hebraicus cyclus, venditatur ille quidem pro antiquissimo a Rabinis, & a Mulero; sed longe post CHRISTI tempora excogitatus videtur Petavio (k), Ricciolio (l), Dodvvello (m), & cæteris doctioribus viris. Nec vero, quem nobis subindicavit cyclum Epiphanius, quemque Petavius, & Bucherius præ cæteris illustrarunt constat antiquissimum esse, aut a Judæis CHRISTI ætate usurpatum, immo de hoc merito dubitari, ait Langius (n): *cum illius nullum planè in antiquissimis Judæorum commentariis vestigium extet: immo nec ipse Epiphanius ullum Auctorem laudat, a quo talem cyclum habuerit*: proponit etiam Langius quamdam conjecturam suam videri cyclus hic compositus post eversam Hierosolymam, disper-

(a) In Kalend. Hebraic.
(b) De an. Luni-sol. Judæor.
(c) Lib. 5. Elench. Kalend.
(d) Lib. 2. D. T.
(e) Lib. 5. Chronol. cap. 14.
(f) In tractat. de Paschal. Jud. cycl.
(g) Exercit. 1. in Pentath. Samarit.
(h) Diss. 9 de Vet. Græc. Romanorumq. cycl.
(i) Lib. 2 D T cap. 28., & alib.
(k) Lib. 2. D. T.
(l) Lib. 1. Chronol. cap 14.
(m) Differt. 9 de cycl. §. 41.
(n) Lib. 1. de an. Christ. cap. 9.

persosque Judæos. Idem licet de aliis cyclis, qui circumferuntur, aut potiori jure affirmare: nam sibi quisque Judaicos cyclos confingit, ut videt rationibus a se initis, & sententiæ suæ commodare. Jacobus Bettazius *Vir clarissimus complures annos in hisce literis summa cum laude versatus*, ut eum merito laudat Monelia (*a*), asserit (*b*) veterem illum Judaicum cyclum hactenus ignotum omnibus eruisse se tandem, atque ejus beneficio annum CHRISTI emortualem constituisse. Dolendum sane nobis est egregium Bettazii *Opus Paschale*, quod hanc quoque gravissimam controversiam, & a pluribus ætatibus acerrima summorum hominum contentione, maximisque laboribus, & studiis diu, multumque agitatam finiturum aliquando esset, eruditorum hominum expectationem demorari; nisi forte homini veritatis amore succenso (ut suspiciosus amor omnis est) suspicari liceret, idem Bettazio eventurum ac cæteris, qui Judaicum cyclum suum cum protulerunt, antiquissimum, verumque, ac genuinum se reperisse gloriati sunt. Interim neminem illi incomperto tutò inniti posse arbitramur.

Vir in Astronomia, ac Chronologia summus Franciscus Blanchinus modum quemdam asseruit inter duos supra adductos medium quintadecimam, sive quartadecimam Paschalem determinandi (*c*). Putat Hebræos non ex visione neomenias omnes; sed primam tantum anni civilis, idest Tishri mensis determinasse; deinde ad reliquas inveniendas usos supputatione. Ut vero hac ipse via diem inveniat CHRISTI emortualem, primo, ex Hirianis Tabulis elicit novilunium Tishri, idest sexti mensis ante Nisan; deinde unicuique mensi attribuit dies 29. cum semisse; tum additis ad tempus inventum 177. diebus incidit in diem 13. Martii; atque ibi ponit novilunium Nisan. Denique addit 13. alios dies, & qui resultat 26. Martii addit illum esse diem, cui mors CHRISTI debetur; ita ut non 15. Lunæ, ut cæteri passim, sed 14. velit CHRISTUM crucifixum. Qui Sigonii fastos novissime supplevit, atque illustravit, ubi Blanchini sententiæ subscripsit de anno mortis CHRISTI 28. æræ vulgaris, ait (*d*); *nam hoc anno, & non alio mortuum esse* CHRISTUM *resultat hoc Paschate; quod hoc anno contigit die* 26. *Martii; ut docet ipse Blanchinus ex tabulis Astronomicis*

C 2 *D. de*

(*a*) Dissert. de an. Christ. cap. 4. num. 25.
(*b*) In opuscul. contra P. Meliton.
(*c*) Opusc. 4. T. 2. Anastas.
(*d*) Pag. 614., T. 1. Edit. Mediol.

*D. de la Hire*, enimvero ista cum primum legerem existimabam Blanchinum tabulis astronomicis supputasse verum plenilunium; sed ad Blanchinum rediens vidi quali ille methodo uteretur; quæ nequaquam verum plenilunium, neque ad mathematicam accurationem exactum exhibere vellet. Plenilunium verum mense Martio anno æræ vulgaris 28. juxta Cassinianas tabulas a Cassini filio editas (*a*) invenimus die 28. Martii hora post meridiem 15., min. prim. 19., sec. 19. ad Parisiensis Observatorii meridianum computatis; in meridiano Hierosolymitano erit Martii 28., hora p. m. 13., min. prim. 7., sec. 19.: dies ergo duos, vel tres potius, incurrit post eum diem, qui juxta Blanchinum fuit CHRISTI supræmus: quod erat animadvertendum propter eos, qui minus sunt in hujusmodi Astronomicis rebus exercitati, ne intelligentibus harum rerum plus æquo fidant; vel quod illi statuunt ne perverse intelligant.

Verum in tanta Paschalem diem investigandi varietate, dum cyclos alii, alii neomeniarum observationes, alii aliud adhibent nos quid dicimus? Hoc primum non omittendum duco, neque plane constare an CHRISTUS Pascha legale, vel saltem, an illud unà cum Judæis celebraverit, illud Lamy pernegat, & edito opere impugnare aggressus est, hoc plures docti Viri inficiantur. At quidquid de eo sit non liquere qua potissimum ratione Paschale tempus obtinuerint Judæi. Hoc puto satis est a nobis hactenus explicatum, dum sententias doctorum hominum exposuimus. Alterum, quocumque tandem modo plenilunia, vel novilunia investigaverint, non adeo feliciter ea consecutos, ut a veris aliquid non aberraverint. Itaque miramur clarissimos viros Nevvtonum, & Gram-

(*a*) Parisiis a. 1740.

Ex his ad a. 21. die Mart. 28. hor. p. m. 15. min. pr. 13. sec. 36. habetur

| | S. | o | ' | '' |
|---|---|---|---|---|
| Longit med. Sol. | 0. | 4. | 36. | 27 |
| Æqu. centr. add. | | 1. | 43. | 26 |
| Long ver. temp. med. | 0. | 6. | 19. | 13 |
| Con temp. ' 3. '' 43. ad. | | | | 14 |
| Long ver temp. ver. | 0. | 6. | 20. | 7 |
| Apogæi | 2. | 8. | 11. | 26 |
| Anom. med. | 9. | 25. | 41. | 2 |

Tempus correctum

An. 28. Mart. 21. hor. 15. min. pr. 19. sec. 19.

A. 28. ad diem Mar. 28. h. 15. m. p. 19. sec. 19.

| | S. | o | ' | '' |
|---|---|---|---|---|
| Long. med. Lunæ | 6. | 2. | 28. | 17 |
| 1. Equ. Sol. subtr. | | | 8. | 43 |
| Loc. Lun. 1 corr. | 6. | 2. | 20. | 14 |
| 2. Equ. Sol. subtr. | | | 3. | 40 |
| Loc. Lun. 2. corr. | 6. | 2. | 16. | 34 |
| Æqu. add. | | 4. | 4. | 45 |
| Loc. Lun. in orb. | 6. | 6. | 21. | 19 |
| Reduct ad Ecl. subtr. | | | 1. | 22 |
| Locus Lun. in Eclip. | 6. | 6. | 20. | 7 |
| Apogæi | 10. | 9. | 47. | 37 |
| Dist. Sol ab Apog. Lunæ | 1. | 26. | 12. | 10 |
| Anomalia media Lunæ | 7. | 26. | 28. | 17 |
| Argumentum latitudinis | 2. | 24. | 4 | 3. |

Grammaticum, & paulo antiquiores Baconum, Burgensem, Tostatum, Middelburgensem, aliosque recentiores tantum momenti in hoc charactere ponere, ut eo rem decerni maxime velint; Norisium etiam in egregio opere de epochis Syromacedonum pleniluniis Paschalibus. Tamquam firmissimo fundamento superstruere multa chronologiæ suæ. Hi Keplerum doctissimum virum, & celeberrimi nominis audiant (a); *ipse Astronomus cæteros non Astronomos abstraho ab Astronomia in actione hujus causæ; probandum est legittimè Judæos tam benè fuisse astronomicè doctos quantam hodie cognitionem afferunt* (recentiores Chronologi) *ad hanc causam. Ego contrarium affirmo; priscos illos Judæos usque ad* CHRISTI *fere tempora in usu Calendarii nihil ultra vulgi captum sapuisse .... valde itaque decepti sunt nostri Astronomi his ultimis* 150. *annis, qui ex sua perfecta Astronomia plenilunia ad* CHRISTI *tempora; ex pleniluniis festa Judæorum; ex his, & concursu Feriæ annum Passionis ausi sunt determinare alium, quam veteres ætati* CHRISTI *proximi tradiderunt. Si hodie quis omisso computo Ecclesiastico aberraute* (loquitur de Calendario non reformato) *ex Astronomia perfecta accomodatis decretis Nicænis, quæ jactantur, computaret Paschata superiorum Sæculorum, is creberrime aberraret ab usuali Paschate, & vix unquam justum historiæ annum assequeretur.* Audiant in hujusmodi rebus exercitatissimum Petavium (b); *mihi vero*, inquit, *plus aliquanto quam popularis usus ferat a Judæorum ritibus, & fastis postulare videntur ii, qui illorum neomenias, & plenilunia, adeoque Paschata ad exactissima lunarium orbium momenta describunt; quasi ne uno quidem, alterove die medios lunæ cursus antevertere, vel morari civiles ipsorum cycli potuerint: atqui neque sanctius puto Judæis esse præceptum, neque diligentius ab iis observatum, uti luna* 14. *sub vesperam Pascha facerent, quam Christianis ipsis, uti proxima post illam Dominica celebrarent. Tot illæ de Paschate controversiæ, tanti nationum inter se conflictus, tam gravia Orientis, Occidentisque dissidia, tot super ea quæstione celebrati toto orbe conventus Præsulum, sanctissimum illud Nicænæ Fidei decretum cæterarum deinde suffragio comprobatum, innumeri denique Paschales cycli ad lunæ, solisque vicissitudines moderandas adhibiti declarant magno id studio quæsivisse Christianos, ut solemne suum ad*

(a) in Eclog. Chronol.

(b) Lib. 11. D.T. cap. 11.

*ad utriusque sideris modulos accomodarent. Neque tamen in tanta rerum Astronomicarum scientia, quam ab Alexandrinis discere poterant hoc assecuti sunt, quod volebant; sed eo usque labes est methodi Paschalis, vitiumque progressum, ut a pristinis solis cardinibus decem solidos dies, a lunaribus epochis quatuor aberrarent. Quid igitur Judæis accidisse credimus, qui Astronomicis, ac Mathematicis rebus, aut nullam, aut minorem certe, quam Alexandrini, Græcique per illud tempus operam navabant?* Similia his Bucherius *(a)*, Henschenius *(b)*, aliique docti viri. Repugnat tamen vir ipse quoque astronomicarum rerum scientissimus (ut ex lunaribus tabulis *(c)* ex Nevvtoniana Theoria supputatis, aliisque opusculis constat) Nicasius Grammatici, qui Judæos vult in celebrando Paschate nihil fermè aberrasse ab astronomico plenilunio. Affert in hujus sententiæ suæ testimonium Paschata duo, quorum tempus diligentissime Josephus designat *(d)*: nimirum Pascha celebratum anno æræ vulgaris 70., & anno 65.; primum die 14. Aprilis, alterum Aprilis 8. quando subductis rationibus inveniuntur plenilunia incidisse. Deinde nos provocat; ut quoniam Paschata duo attulit tempore suo celebrata; duo nos, alia afferamus, de quibus manifesto constet a plenilunio aberrasse uno, vel altero die. Ego vero alia duo minime quæram, qualia fortasse in Josepho non inveniuntur; sed provocationem accipio in his ipsis, in quibus illa tantopere triumphat. Atque illud quæro in primis; quis Grammatico indicavit Josephnm significare Aprilem mensem, & Aprilis quartumdecimum, aut octavum diem? Græca Josephi loca hæc habent: *καὶ τῆς τῶν ἀζύμων ἐνστάσης ἡμέρας τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ξανθικοῦ μηνὸς ἀθροιζομένου τοῦ λαοῦ πρὸς τὴν τῶν ἀζύμων ἑορτὴν, ὀγδόῃ δ' ἦν ξανθικοῦ μηνὸς* &c. Xanthicum ergo mensem nominat Josephus. Jam vero notum est hunc mensem aliam apud alios populos sedem in anno habuisse, & diversis Juliani anni mensibus Martio, Aprili, Majo, etiam apud Tyrios; & Junio apud Lycios, & Sidonios respondisse: de quo Petavius *(e)*, Usserius *(f)*, Norisius *(g)*, Gyraldus *(h)*, Fabricius *(i)* Spanhemius; aliique, sed detur sane Grammatico, quod

*(a)* De Pasch. Judæor. cycl.
*(b)* Exercit. 2. in Propil.
*(c)* Editis a. 1776.
*(d)* Lib. 6. de bell. cap. 4., & lib. 5. cap. 12.
*(e)* In hær. 51. Epiph. n. 24., & L. 2. D. T. c. 29.
*(f)* De anno Maced., & Asian.
*(g)* De anno Maced., & de epoch. Syro-Maced.
*(h)* Differt. de ann., & mens.
*(i)* In menologio, sive libello de mensib.

quod apud Syromacedones fiebat, ut in illis Josephi locis Xanthicus sit Aprilis: cui quidem mensi respondisse affirmat etiam Socrates (*a*), Suidas (*b*), Auctor libelli de mensibus (*c*), Anastasius Antiochenus (*d*), Macarius (*e*); ludi Aprili mense fieri soliti Xanthici sunt a Xanthico mense appellati, ut in Archeologia tradit Potterus (*f*); qui tamen probare poterit ita pariatos, ut fuerit idem utriusque initium, idemque dierum numerus perpetuo constaret? Hoc supra laudati Auctores non dicunt: negat vero acriter Valesius (*g*), atque affert Juliani auctoritatem in Misopogone, Marci in vita Porphyrii, Epiphanii (*h*), & Eusebii ipsius. Praeterea Actione 9. Chalcedonensis (*i*), mensis Peritii dies decima componitur cum Februarii 25. Canon 30. (*k*) Apostolorum praescribit conventum Episcoporum 12. Hyperberetaei ubi Cotelerius significari diem Octobris 7. colligit ex Canone Antiocheno 20.: Joannes Antiochenus exponit 9. Octobris; Theodorus Cantuariensis Octobris 8. Itaque quando horum mensium collatio ab Auctoribus instituitur illud unice significatur, partem aliquam unius alteri respondere. Eusebius quidem, qui initio libri de Martyribus Palestinae (*l*) mensem Xanthicum cum Aprili mense contulerat, deinde narrans Procopium capite truncatum Desio mense, comparat, diem illius octavum cum VII. Id. Jun., idest die Junii septimo. Res etiam planior fit in Josepho. Nam, ut Dodvvellus observavit, *ita loquitur ubique Josephus quasi invicem perpetuo responderent menses Macedonum, atque Judaeorum; quasi, & dies mensium diebus etiam responderint*. Lib. 1. antiq. cap. 4. contigisse, ait, diluvium mense secundo, qui Dius a Macedonibus vocatur, ab Haebreis Marsonane; additque sic Egyptios distinxisse annum; Mosem autem Nisan, qui est Xanthicus, mensem primum in suis fastis ordinasse (*m*). Xanthicum hoc

(*a*) Lib. 5. cap. 2.
(*b*) Tom. 2. pag. 642. edit. Cantabrig. 1705.
(*c*) Tom 4. Thes. Graec
(*d*) In orat de annunt. Deip.
(*e*) Hom. 5.
(*f*) Lib. 2 cap. 20.
(*g*) In Lib. Euseb de Martyr Palest.
(*h*) In lib de ponder. cap. 20.
(*i*) Tom. 2 collect. Hard. pag. 504. μηνὸς Περιτίου δεκάτῃ, κατὰ Ῥωμαίους Φευρουαρίου Πέμπτῃ, καὶ εἰκάδι.
(*k*) Al. 38.
(*l*) Ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανοῦ Βασιλείας. Ξανθικοῦ μηνὸς, ὃς γένοιτ' ἂν Ἀπρίλλιος κατὰ Ῥωμαίους.
(*m*) Δίου μηνὸς ἑπτακαιδεκάτῃ. αὕτη δ' ἂν εἴη Ῥωμαίοις ἡ πρὸ δεκατέσσαρων καλανδῶν Δεκεμβρίων.

hoc pacto cum Nisan componit lib.2. cap.5. : & lib.3. cap.10. ; & lib.8. cap.2. septimo mense Hebræorum Macedonicum Hyperberetæum respondere ait : Alibi *(a)* Chaslæo Apelleum , Jar Artemisium *(b)* , Adar Dystrum *(c)*. Quare Petavius *(d)*, Bucherius *(e)*, Langius *(f)* putant Josephum Xanthici nomine Nisan ipsum expressisse , & Macedonico vocabulo menses Judaicos . Idem suse contendit , etiam Norisius *(g)*. Dodvvellus vero menses Judæorum lunares mensibus Macedonum lunaribus respondisse : Quæ tamen non video quomodo alteri ex illis textibus supra relatis aptari possint , quo 8. Xantici Pascha consignatur , quod certe 14. Nisan celebrandum est . Utquumque sit concidit Grammatici argumentum : Immo contra ipsum apertè facit ; Etenim si Macedonici menses omnino Julianis non congruebant ; cum illa plenilunia Julianorum mensium illis diebus vere acciderint , à diebus ab Josepho memoratis Græcorum mensium illis non respondentibus aberrarunt , adeoque illa Paschata perversè à Judæis celebrata fuere . Itaque eo redimus , ut dicamus verum plenilunium cum Paschali festo non ita arctè colligari , ut uno invento habeamus , & alterum . Quod si ex me quæratur quanta hujusmodi aberratio fuerit , & quot complexa fit dies , dico ex Veteribus elici quatriduum . Nam Epiphanius cyclum illum suum testatur CHRISTI tempore vitiosum fuisse , & neomenias assignasse biduo , inquit ipse , a veris diversas ; Sed Petavius *(h)* observat errorem in cyclo illo non ad biduum tantum , ut Epiphanius volebat , sed ad quatriduum se extendisse . Tantumdem fere temporis a veris phasibus aberrari in Cyclo Metonico suo concedit Dodvvellus *(i)* . Atque hactenus ita de aberrationibus hujusmodi locuti sumus ; quasi per cyclum dumtaxat Paschalis dies obtineri posset : sed idem omnino valet , si putemus neomeniæ visione rem constitutam . Scaliger *(k)* affirmat sæpenumero lunam sui videndi potestatem non facere triduo solido a jugo : quin idem tradit Geminus *(l)* ; qui quidem Geminus non de nostris tantum regio-

*(a)* Lib.12. antiqu. cap.7.
*(b)* Lib 8. Antiqu. cap 2.
*(c)* Lib 4. cap. ult.
*(d)* Lib. 11. D T. cap.17.
*(e)* Cap.8 de Jud cycl.
*(f)* Lib.1 de ann. Chr. cap. 9.
*(g)* Differt. 1. de ann. Maced cap. 3.
*(h)* In animad. ad Epiph. hær. 51. p.163.
*(i)* Differt. 9.
*(k)* In Canon. Isago.
*(l)* In Isag. cap.7. ἐλάχιστη μὲν τῆς φαίνεται ἡ σελήνη μόνον δὶς τῇ νουμηνίᾳ, βραδύτατα δὲ τῇ τρίτῃ.

gionibus, sive Italia, & Gallia loqui putandus est, ut mon cere debeat Lamy (a) ex iis, quæ in plagis nostris experimur non æstimandum, quod fit in aliis. Rabbini vero fatentur non omnes neomenias e lunæ visione constitutas. Rabbi Moses, ait, senis dumtaxat mensibus id factitatum; stante vero templo etiam in Jiar ob Pascha minus: ex quibus patet etsi neomeniarum visione Paschalem diem statuerent quatridui errorem admittere potuisse: si cui placeat Blanchiniana illa hypothesis idem omnino fit. Supputatum a Blanchino plenilunium vidimus differre ab astronomico, & vero triduum: ergo si novilunium Thisri a ... putatum fuisset, potuisset aberrare quatriduum. Quamobrem si volumus aliquando ea, quæ ex hoc charactere dici possunt constituere; hoc I. ex plenilunio simul cum Feria VI., & mensis die nullo modo annum CHRISTI emortualem definiri posse; quod ille concursus nusquam reperiatur: II. concursum Feriæ VI., & plenilunii in pauciores annos cadere: III. non constare qua ratione plenilunia obtinuerint judæi: denique utcumque habuerint, ea non ita mathematicè exigenda, ut laxioribus aliquanto terminis circumscribi, & ad quatriduum extendi non possint; ita ut Judæos in Paschatis celebratione astronomicum in plenilunium incidisse longè sit improbabilius, quam quatridui errorem admisisse; illud enim casu quodam, & veluti fato contigisset; hoc autem ex ipsorum quacumque putandi ratione descendit.

## §.II.

## *De die mensis.*

SED characterem illum, qui ex mensis die petitur, eratque cum superioribus connectendus, seorsim & paulo diligentius consideremus: qui quidem sola veterum auctoritate nobis innotescere potest. Omittimus alium de Feria VI., quod eo modo, quo vulgo sumitur nimis sit in promptu, nec ulla indigeat explicatione, de eo autem inferiùs erit disputandi locus. Verè autem Beda affirmavit (b) multorum DD. Ecclesiasticorum

 fuisse

(a) In Apparat. cap. 8. §. 2.

(b) Loc. cit.

fuisse sententiam die Martii 25. CHRISTUM mortuum. Etenim Loc, & Tertullianus (a), & Augustinus (b), & Victorius apud Petavium (c); Cassiodorus (d), Gregorius Turonensis (e), Beda (f) significant. Accedunt ii omnes, qui eodem die CHRISTUM mortuum volunt, quo conceptum; in qua opinione fuisse videtur Cyrillus Alexandrinus, sive quivis alius vetus Auctor in epistola apud Bucherium (g). Addit Henschenius (h) multa antiqua Martyrologia; Henricus Philippi (i) quamplurimos illustres Scriptores: Salmeron vero (k) narrat; *inter tractatus Joannis a Turrecremata MS. unum se invenisse, qui inscribitur, in quinque Conclusiones Episcopi Abulensis de mandato Papę examinatas: secunda inter eas damnata hac erat; Dominum* JESUM *nequaquam 25. Martii, sed 3. Aprilis mortuum*. Simile quidpiam de Rogerio Bacone narratur a Pagio (l). Quamobrem videtur hæc opinio fuisse fere inter latinos communis, CHRISTUM mortuum 25. Martii; mortuum inquam, non solummodo passum, quam distinctionem induxit Blanchinus (m) coactus CHRISTI mortem collocare die 26. Sed merum effugium est ad PP. auctoritatem declinandam. Etenim id illi intelligunt cum passum dicunt, & multi addunt hoc expresse; ut antiquiora Martyrologia, Hieronymianum; *VIII. Kal. April. in Hierosolyma D. J. C. crucifixus est*: vetus Romanum parvum; *VIII. Kal. April. annuntiatio Dominica, & Crucifixio*; aliaque apud Henschenium (n); idemque Cyrillus loco supra laudato: & Augustinus, qui *de Trinitate*, & in libro 83. *quæst.* dixerat; *VIII. Kal. April. conceptus creditur, quo & passus*, — *lib. de civ.* 18. diserte affirmat; *mortuus est ergo* CHRISTUS *duobus Geminis Coss. VIII. Kal. April.*; vel ea subnectunt, quæ id indicant.

Nemo tamen inficiabitur ab hac Latinorum opinione longè abiisse Græcos, quorum plerique diem conceptionis CHRISTI eumdem putaverunt, ac Resurrectionis diem. Itaque mortem collocarunt ad d. X. Kal. April., sive 23. Martii. Horum Principem Florentinius (o) facit Theophilum Cęsariensem tempore

(a) Lib. contra Iud cap 8.
(b) Lib. 18 de Civ cap. 54., lib. 83. qu. 56., lib. 4 de Trin. cap. 5.
(c) In append. Tom. 2. D. T.
(d) In Chron c.
(e) L. 10 cap. ul.
(f) De rat. temp. cap. 47.
(g) *Eadem die conceptus in utero est, & mortuus in Cruce*
(h) Ad d. 25. Mart.
(i) In quæst. Chron. *de ann. Nat., & Pass. Christi Salvatoris*.
(k) Tom. 8. proleg. 38.
(l) Ad a. 34. Baron., citatq. Vadingum de script., & in Annal., locos hos reperire non potui.
(m) Opusc. 4. cit.
(n) loc. cit.
(o) In exercit. *de Passionis Dominicæ solemni die*.

pore Victoris Papæ in Actis Concilii Palestini. Acta hæc, seu potius Actorum fragmentum habetur apud Bedam (*a*); e Beda protulit Bucherius (*b*); deinde Conciliorum collectioni inseruit Philippus Labbè (*c*): Balutius vero (*d*) ex vetustissimis codicibus sinceriora exhibuit, monens nonnullis illegittima, ac spuria visa esse; *ab aliis, & quidem viris doctissimis pro veris, ac genuinis recepta*. Certe ut genuina ea citavit Petavius (*e*), Natalis Alexander (*f*), Savinus (*g*); præter Deckerium, qui ejus verba in fronte operis sui collocavit. In his ergo Actis cum Paschatis limes statueretur ab Episcopis ab VIII. Kal. Apr. ad VIII. Kal. Maii; *Theophilus Episcopus dixit: & impium non est, ut illi tres dies passionis Dominicæ forat terminum excludantur....passus namque est* DOMINUS *ab XI. Kal. April., qua nocte a Juda est traditus, & ad VIII. Kal. April. resurrexit*: quibus verbis significatur nocte, quæ subsecuta est diem XI. Kal. April. CHRISTUM compræhensum, die X. Kal. crucifixum, VIII. Kal. resurrexisse; non ut male Brideserthius intellexit XI. Kal. crucifixum. His Concilii verbis tantum detulit Baronius (*h*), ut postquam dixit, nonnullorum opinionem fuisse CHRISTUM passum 25. Martii, sed viros doctissimos cum difficultatibus succumberent, veluti desperatione actos rem inabsolutam reliquisse, addat, si consulatur antiquitas, in Concilio Cæsariensi alium diem statutum a Theophilo, atque illi cæteros consensisse: quod ubi scripsit, hoc veluti testimonio omnium firmissimo prolato disputationem de die CHRISTI emortuali concludit. Hunc diem amplexi sunt postea viri antiquitatis Ecclesiasticæ consultissimi Petavius, Bucherius, Tirinus. Sed, ut modo dicebamus, antiquiores Græcos in eadem fuisse opinione declarat Chronicon Alexandrinum (*i*), in quo dicitur CHRISTUS Paschalem cœnam peregisse die Martii 22. Idem fragmenta significant, quæ inter selecta ad Chronici Paschalis illustrationem leguntur (*k*): ex Eusebii Chronicis refertur Pascha Feria V. hebdomadis comedisse die Martii 22.; nocte illa proditum, &

 cruci-

(*a*) Tom.2. pag.147. edit. Basileens.
(*b*) Sub fine operis de Doctrina temp.
(*c*) Tom.1. pag 596.
(*d*) Tom.1. Collect. CC. pag.14.
(*e*) Lib.12. D. T. cap.12.
(*f*) Sæc.1 Diss.2 qu.3.
(*g*) Can temp. cap.7.
(*h*) Ad an. 34.

(*i*) Pag 2118. edit. Paris. ex recen. f. Cl Ducangii.

(*k*) Pag.431. αὐτῇ δὲ τῇ νυκτὶ φερούσῃ εἰς τὴν κγ' τοῦ αὐτοῦ μηνὸς παρεδόθη καὶ σταυρωθεὶς αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ. ἀνέστη κε' ἡμέρᾳ κυριακῇ.

crucifixum die 23.; 25. vero resurrexisse Dominica die. Anonimus ibidem 23. die salutarem Passionem, ut ejus modum loquendi exprimam, passum, ait, CHRISTUM DEUM, ac 25. ejusdem Martii mensis resurrexisse; additque in id tempus omnia congruere, quæ Chrysostomus docet (a). Cotelerius constitutiones, quæ Apostolicæ dicuntur, explicans (b), duo producit antiquorum operum fragmenta, in quibus idem continetur. Hos secutus est postea Hyppolitus Thebanus (c), citatque pro sua sententia plures Græcos. Græcos secuti sunt Latinorum præclarissimi duo Cœcilius, sive Auctor de mortibus Persecutorum, & Lactantius. Primus scribit; *D. N. J. C. a Judæis cruciatus est post diem X. Kal. April. duobus Geminis Coss.*: ita legi in veteribus MS. testatur Noury; alter (d): *duobus Geminis Coss. ante diem X. Kal. April. Judæi* CHRISTUM *cruci affixerunt*: sic reperiri scriptum in antiquis Lactantii exemplaribus MS.; in editione Romana an. 1470., in Veneta an. 1521. testatur Balutius (e); & quia locum hunc mutaverat inscitia Typographorum, Joseph Isæus veterem lectionem restituit auctoritate codicum antiquorum: hanc lectionem probat etiam Florentinius, & Petavius. Michael vero Thomasius ad hunc locum; *Si legamus*, inquit, *ante diem X., ut est in libris antiquis, tum videbitur Lactantius ad opinionem Theophili accedere, qui putavit* CHRISTUM *Dominum XI. Kal. April. fuisse crucifixum, & parum differet ab opinione Nicetæ, & fere omnium Græcorum, qui X. Kal. April. putant* CHRISTUM *Dominum fuisse crucifixum; ut colligant VIII. Kal. April., eo nempe die, quo fuit conceptus a mortuis resurrexisse*. Falsus est vir doctus cum Bridesferthio in Theophili verbis intelligendis; sed de Lactantii, & omnium

(a) Homilia 5. in Pascha Tom. 5. edit. Savil. pag 940., in edit. Montfauc. T. 8. p. 275. in Append.; atque utrobique inter spuria recensetur. Anonymi verba sunt ἐν τῇ τῇ κγ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ιδ´ δὲ σελήνης ἡμέρᾳ παρασκευῇ τὸ σωτήριον πάθος ὑπέστη Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, τῇ ἑσπέρᾳ δηλαδὴ τοῦ νομικοῦ πάσχα καὶ τῇ κε´ τῇ αὐτοῦ Μαρτίου μηνὸς ἀνέστη.

(b) Ad cap 13. lib. 5. Const. ex Cod. Regio. Primum ἡ δὲ σταύρωσις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ γέγονεν ἐν ἔτει ,ελ´ . . . ἦν δὲ τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων Μαρτίῳ κδ´ ἡμέρα σαββάτῳ, alterum ἐν τῇ κγ´ Μαρτίου μηνὸς ἐσταυρώθη . . . καὶ ἀνέστη τῇ κε´ τοῦ αὐτοῦ μηνός.

(c) Apud Canis. Tom. 3. var. pag. 47. λγ´ ἐν τῷ κόσμῳ διατρίψας, καὶ παθὼν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν τῇ κγ´ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἐσταυρώθη.

(d) Lib. 4. Divin. Inst. cap. 10.

(e) Lib. 2. misc. pag. 133.

& omnium fere Græcorum opinione teſtimonium perhibet. Et profecto, ſi unum Joannem Malalam non magni nominis Scriptorem excipias, neminem fortaſſe reperies, qui Latinorum opinioni acceſſerit. Sicuti autem nemini eſt ignotum, quod Robertus Stephanus docet, & Valeſius (a) idem eſſe *ante diem X. Kal.*, *& die X. Kal.*; ita idem eſt judicandum de *poſt X. Kal.*, & ſic intelligendus eſt Cœcilii locus, ut Evangelii ille *poſtquam conſumati ſunt dies octo*: nimirum hic octavus dies ſignificatur, a Cœcilio dies, qui dicitur X. Kal., neque de hoc Noury, Balutius, aliique viri docti diſſentiunt. Præter Latinos illos duos antiquiſſimos Auctor Serm. 18. *de tempore* inter opera S. Auguſtini (b) ſcribit: *qua die eſt conceptus in Utero* VIRGINIS *in ipſa reſurrexit ab inferis*. Beda quoque narrat; Galli quacumque die VIII. Kal. April., quando CHRISTI fuiſſe reſurrectio tradebatur, Paſcha ſemper celebrabant (c). Faſti nomine Idacii a Labbeo, & Sirmondo editi; *paſſus eſt* CHRISTUS *die X. Kal. April.*, *& reſurrexit VIII. Kal. ejuſdem*. Auctor operis *de imagine mundi*, quod in veteribus editionibus S. Anſelmo tribuitur (d), ait. *qui Evangelium diligenter legerit Dominum non VIII., ſed X. Kal. April. paſſum videbit*. Quamobrem liquet apud Latinorum multos invaluiſſe hujuſmodi opinionem, quæ fuit Græcorum communis. Novi, quæ Honoratus a S. Maria (e) proferat, ut Concilii Cæſarienſis teſtimonium infirmet; verum ſatis habebit, quod Honorato regerat, qui Theophili verba attente legerit: & quamvis hujuſmodi teſtimonium eriperet, paucane ſupereſſent, & exiguæ auctoritatis? Itaque ſi antiquorum ſententias volumus attendere dubitare poſſumus an. 23., an. 25. Martii die CHRISTI mortem ſtatuamus; alterutro ſane. Sunt aliæ ſententiæ alio die collocantes. Nam Epiphanius (f) paſſum, ait, CHRISTUM XIII. Kal. April., & alibi (g) ſcribit; eſſe nonnullos, qui unum eumdemque diem obſervant, & uno eodemque jejunant, ac myſteriis operantur; ſiquidem ex Actis Pilati accuratam ſe inſtituti hujus rationem didiciſſe gloriantur, in quibus ſcriptum eſt VIII. Kal. April. Salvatorem eſſe paſſum: deinde Epiphanius ſubjungit ſe Actorum ejuſmodi Pilati

(a) Ad lib. 2. cap. 17. H. E. Euſebii.
(b) Ap. Florentin. loc. cit.
(c) De rat. temp. cap. 42.
(d) Lib. 2. cap. 18.
(e) Lib. 5. Diſſert. 1. art. 6.
(f) Hæreſ. 51. num. 26.
(g) Hær. 50. num. 1.

lati exemplaria quædam inveniſſe, quæ ad d. XV. Kal. April. Paſſionem CHRISTI contigiſſe narrabant; verum certo illud comperiſſe ad diem XIII. Kal. paſſum eſſe: alios ſtatuere X. Kal. Epiphanium ſecutus eſt Alexander Monachus *(a)*, Victorius vero, ſeu Victorinus Auctor Canonis Paſchalis vult CHRISTUM mortuum die 26. Martii, ſive VII. Kal. April. Sed hæ opiniones ſingulorum ferè Auctorum ſunt a cæteris deſertæ, atque rejectæ: duæ, ut dixi magnos, graveſque habent Patronos, quæ 23. Martii mortem CHRISTI collocat, & quæ 25.; altera Græcorum, altera Latinorum. Neque hanc diverſitatem antiquiſſimam eſſe arbitror, aut Tertulliano ſeniorem; verum ſub ejus tempus ex ambiguitate vocis *Paſcha* natam: etenim non fuiſſe in cauſa Actorum Pilati variam lectionem illud oſtendit; quod cum, teſte Epiphanio, multiplex eſſet, duæ tamen ſententiæ dumtaxat invaluerunt: ortam igitur ſuſpicor ex eo, quod *Veteres Chriſtiani*, ut Voſſius loquitur, *duplex ſtatuerunt Paſcha: unum σταυρώσιμον, ſub quod* CHRISTUS *eſſet actus in Crucem: alterum ἀναστάσιμον, quo reſurrexiſſet (b)*. Cum enim Hæbraica vox tranſitum ſignificet, *duplex*, inquit Ducangius, *a* CHRISTO *factus fuit tranſitus; prior quidem ex vita in mortem quo die crucifixus fuit; poſterior vero ex morte in vitam, quo die reſurrexit a mortuis (c)*: quamquam magis arbitror id factum ex perverſa vocis hujus deductione quaſi a patiendo, ſive ἀπὸ τοῦ πάσχειν *Paſcha* diceretur; ut Ambroſius videtur exiſtimaſſe *(d)*; & Nazianzenus *(e)*, ubi dixit; accidiſſe hoc in permultis ſcripturarum locis, ut vocabula quædam ab obſcuriori ſenſu ad apertiorem, atque a duriori ſono ad elegantiorem accomodarentur fuiſſe paulum immutata; idemque hic factum immutatione φ in π, & κ in χ, ut ex φασεκ evaderet πάσχα, ſubdit, quoſdam arbitratos eſſe vocabulum hoc nomen eſſe Dominicæ Paſſionis. Utcumque ſit, duplex erat antiquitus Paſcha alterum CHRISTI mortis diem deſignans, alterum reſurrectionis. Quamobrem proclive fuit unum cum altero confundere: & quod de reſurrectionis die dicebatur nomine Paſchatis, id de Paſſionis die, quod idem nomen habebat intelligere: & ſi in hujuſmodi rebus conjecturæ locum eſſe volumus, id ita arbitror eveniſſe:

(a) Apud Gretſ. de Cruce.
(b) Cap. 6. de vitiis Sermon.
(c) In Gloſſario.
(d) Lib. de Myſt. Paſchæ: *Paſcha Myſterium, quod quidem ſacrum nomen ab ipſius Domini Paſſione deſcendit.; Paſcha enim Paſſio eſt Salvatoris.*
(e) Orat. 42.

nisse; ut cum Veteres scriptum reliquissent, docuissentque Christianos Paschalem CHRISTI diem fuisse eumdem, qui fuerat ejus conceptionis, id alii Pascha σταυρώσιμον; alii Pascha ἀναστάσιμον sunt interpretati: atque hinc illæ loquendi rationes diversæ; CHRISTUS *eodem die mortuus, quo conceptus*; CHRISTUS *quo die conceptus, eo die resurrexit*, quarum alteram Latinorum esse diximus, alteram Græcorum. Mirifice hoc confirmat alia vetus controversia: qua, ut Usserius (*a*) tradit alii Pascha σταυρώσιμον ubi celebraverant jejunium solvebant; alii id nonnisi altero Paschate ἀναστασίμῳ faciebant: nimirum hos quoque Paschatis ambigua vox, in quo solvendum esse jejunium acceperant, in errorem induxerat. Quamobrem nemo hunc veterum Auctorum dissensum obiiciat, ut antiquam de die CHRISTI emortuali traditionem convellat. Etenim primo; notum esse eum priscis Christianis oportuit, quo res tanta publicè gesta, & tabulis fuerat consignata: deinde, cum ita inter se Patres dissentiunt, ut non quasi incerti in plurimas sententias abeant, sed omnes fere ex duabus maximè affinibus alterutram eligant, ita ut facile fuerit ab una in aliam deflectere, si discrepantiæ hujus, atque erroris ratio probabilis proferri potest, traditionem extare inficiari non debet: atque hoc in re nostra evenit: PP. igitur authoritate, & traditione non tantum mensem Martium ut Grammaticus (*b*) voluit; sed, & alterutrum ex illis diebus, quibus CHRISTI mors consignetur constitutum habemus; atque hic est hujus characteris fructus, ut ii constituendi sint anni CHRISTI emortuales, in quibus Pascha die Martii 23., aut 25. potuit celebrari. Potuit autem ex supradictis præscriptum Paschati celebrando tempus ad quatriduum ante, vel post plenilunium excurrere. Itaque eos annos hæc nota suppeditat, in quibus dies Martii 23., vel 25. quatriduo ante, vel post plenilunium continetur.

## §. III.

## *De Sabbato* secundo primo, *& die Festo* mediante.

QUos hactenus de Feria VI., & plenilunio attulimus, eos characteres sacræ Literæ exhibuerunt; quibus alius de die

(*a*) Prolegomen. in Ignat. cap. 9.

(*b*) In Dissert. seq. lit.

die mensis fuit necessario adnectendus: nunc Harduinus (a) duos alios suggerit ex Evangelio (b): *factum est autem in Sabbato secundo primo* (δευτεροπρώτῳ) *cum transiret per sata vellebant Discipuli ejus spicas* — & alibi (c); *jam autem die Festo mediante ascendit* JESUS *in Templum*, *& docebat* — . *Atque hi quidem duo characteres*, inquit Harduinus, *Sabbatum dico* δευτερόπρωτον, *& diem Festum mediantem adeo clare demonstrant non posse alium annum esse* CHRISTI *Passionis quam* 33.; *ut*, *& Lucas*, *& Joannes satis esse intellexerint*, *si ex his alteruter notaretur*: *quoniam*, *& scientibus formam anni Judaici liqueret apertè non posse utrumque illum characterem incidere*, *nisi in annum* 32. *Julianum*, *qui* CHRISTI *mortem antecessit*: *& eamdem anni formam nescientibus cupiditatem illi ipsi characteres iniicerent investigandi*, *qua demum in anni*, *mensiumque forma occurrerent*; *ut qui deprehenderent statui neutrum posse nisi in anni Judaici forma qualem descripsimus*: *iis*, *& annum intelligerent mortis* CHRISTI *fuisse* 33. *æræ Christianæ*, *& Kalendario usos esse jam tum Judæos*, *cycloque decemnovennali*. Atqui nos eos esse fatemur, qui anni Judaici formam, quæ olim fuerit ignoremus; neque tamen hic locus, aut cupiditatem iniicit, aut spem facit illam cognoscendi. Novimus enim, si antiquitatis auctoritatem volumus, in Judaico Kalendario constituendo nullam fere reperturos; si in novis de ingenio confingendis audaces sumus, excogitaturos multos, in quibus hæc possint commodè explicari. At enim *dies Festus medians* fuit Sabbatum quartus ex diebus octo, quibus Scenophegia celebratur: Sabbatum vero secundo primum erat Sabbatum primum Adar, mensis secundi; quod anno tantum embolismeo convenire potest, in quo tertiusdecimus mensis superadditur, quem secundum Adar Hebræi vocitant: hæc autem nisi in annum 32. æræ Christianæ in nullo præterea cadere possunt. Prætereo, quod hic, & in superiori charactere dixi de veteris Hebraici Kalendarii incertitudine, quæ incertitudo funditus Harduini evertit rationem omnem. Quis nos cogit hæc ita arcte inter se illigare, ut *dies Festus medians* ultra diem quartum e septem, vel octo illis, aut infra etiam non excurrat? ulnane hæc, aut Geometrica Septempeda metiri oportet, ut si tantillum progrediamur

(a) In Chronolog. Veter. Testam.
(b) Luc. 6.
(c) Joan. 7. & 14.

mur conturbetur ratio tota? an non communem magis loquendi modum attendere oportet, qui medium vocat inter duos dies, qui inter; iicitur inter utrumque. *Medium* latinè dici *quicquid inter duo extrema est, etiamsi non æqualiter distet ab utroque*, monent istarum rerum tractatores (*a*). Itaque Interpretes ad normam adeo accuratam hæc non exigunt, atque evagari paulo liberius sinunt; & tertium, vel quartum diem permittunt Maldonatus, & Calmet (*b*); quartum, vel quintum a Lapide (*b*).

Quoad Sabbatum secundo primum, miror virum doctum ita sibi placuisse, ut interpretationem suam canonem veluti quemdam statuerat, a quo recedere nemini liceret; idque in re omnium obscurissima, de qua consulentem Hieronymum, ut ipse narrat (*c*), mirifice elusit Nazianzenus respondens; *docebo te super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris invitus scire, quod nescis: aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis*. Quod Nazianzenus Hieronymo, vel noluit, vel, quod est fortasse verius non potuit; id alii explicare conati sunt: sed ut bene hic vir doctus (*d*), quot capita tot sententiæ, de quibus Baronius in Annalibus, (*e*) Petavius in Epiphanium (*f*), & loci illius Lucæ Interpretes. Atque, ut de eo obscuram sane omittamus Epiphanii sententiam (*g*), Chrysostomus (*h*) interprete Petavio, & Erasmo (*i*) ita vocari existimavit Sabbatum, quod festum aliud antecedit: Theophilactus contra, quod festum subsequitur, quæ est juxta Maldonatum (*k*), & Montfauconium Chrysostomi (*l*) ipsius sententia: Isidorus (ex eodem Petavio) primam azymorum diem, nempe eam sub cujus priorem vesperam immolatum est Pascha: Euthimius secundam: Vatablus, Osiander (*m*), aliique postremam. Sunt qui omne Sabbatum ita dictum putant, quod a præcedenti sit proximum; ita Hugo Carrensis: atque Ambrosius (*n*) eam rationem attulit, cur dicatur secundum, quia ei post resurrectionem prælatus est dies Dominicus. Sunt qui autumant ita dici, quasi du-

E

(*a*) Verba sunt Lexici celeberrimi Ambrosii Calepini, quæ habet etiam Robertus Stephanus in Thesauro.
(*b*) In Joan. cap. 7.
(*c*) Hieronym. ep. 2. ad Nepotianum.
(*d*) Hugo Grotius in cap. Lucæ 6.
(*e*) ad a. 32. num. 2.
(*f*) pag. 61.
(*g*) Hær. 30.
(*h*) Homil. 39. in Math. al. 40.
(*i*) In cap 7. Joan.
(*k*) In Joan.
(*l*) Tom. 7. Oper. Chrysost. pag 438.
(*m*) In not. ad Harmon. Evang.
(*n*) In ps. 47.

ſi duplex, aut bis ſolemne Sabbatum, in quod nimirum, vel Neomenia, aut aliud ſimile incideret, ita Janſenius, Toletus, Franciſcus Luca, Emmanuel Sa. Sunt qui exiſtimant fuiſſe Pentecoſtes diem, ita Maldonatus, & Mercator. Hugo Grotius ſic Pentecoſtem dictam vult, quando in Sabbatum incurrebat, ſicuti Sabbatum, quod in Paſcha cadebat Sabbatum primum. Le Moine docet Judæis duo fuiſſe magna Sabbata, primum initio anni civilis menſe Tishri, alterum initio ſacri anni menſe Niſan, illudque vocatum primum Sabbatum magnum, hoc ſecundum. Toynard *(a)* ex Judæorum libris eruere ſe poſſe putat Sabbatum ante Paſcham vocatum magnum Sabbatum; Sabbatum, quod ſubſequebatur ſecundoprimum. Joſeph Scaliger *(b)* idem fermè antea tradidit, Sabbata a Paſcha ad Pentecoſtem a ſecunda azymorum die numerari conſueviſſe; itaut primum Sabbatum diceretur primum poſt ſecundum azymorum diem, ſive Sabbatum ſecundoprimum: huic opinioni Petavius, Pagius *(c)*. & ex Etherodoxis multi *(d)* aſſenſi ſunt. Carolus Sigonius arbitratur *(e)*, cum Hebræi Paſcha faciebant menſe ſecundo (quod factum aliquando patet ex Paralipp. II. *(f)* tunc occurriſſe Sabbatum ſecundoprimum. Ludovicus de Dieu *(g)*, cum Sabbati nomine omnes Judæorum feſti dies appellarentur, vult ita vocatum Sabbatum, quod in Paſchatis octiduo incidebat. Sed infinitus prope ſim, ſi omnes ad obſcuriſſimum locum explicandum excogitatas ſententias numerem: atque illud, opinor, jam conſtat in tanta rerum difficultate, atque eruditiſſimorum hominum diſſenſu nihil reperiri poſſe, quod characteris loco ſit ad CHRISTI mortis annum conſtituendum.

## §. IV.

## *De Septuaginta Danielis Hebdomadis.*

QUamobrem eo omiſſo alterius, quem initio propoſuimus characteris conſideratio ſuſcipienda eſt, quem vetus Teſtamentum ſuppeditat, atque inſigne illud hebdomadum 70. Da-

[a] In Harmon.
*(b)* Lib. 6 de Emendat. temp.
*(c)* loc. cit.
*(d)* Caſaubonus exercit. 13. in Baron.; Ligfoot.; le Clerc in 9.
*(e)* Lib 3 de Rep. Hebræor. cap. 13.
*(f)* Cap 30.
[g] Cui acceſſit Petit. var. lect. 19.

Danielis vaticinium. Nihil est tamen, quod hic quoque aliquis longiorem orationem, aut expectet, aut vereatur; sed quo magis multa in eam rem disputantur a viris doctis, eo nobis disserendum erit brevius, quod id tantummodo quærimus, quæ certa nota sit ad CHRISTI annum inveniendum, quæ incerta, quidve ex illa inferri possint: cum vero hic tam multis, vehementissimisque contentionibus Auctores gravissimi inter se dissideant, sequitur hanc esse incertissimam. Sunt autem incertitudinis hujus capita plura; quorum unum pertinet ad annorum numerum, quem hebdomadæ istæ conficiunt; alterum ad partitionem earum, quam ibi instituere Daniel videtur; præterea ad terminum, ad quem putatio tota est referenda; denique ad principium, a quo sunt numerandæ.

Et Origenes quidem (a) decem annos in singulos dies computans singulas hebdomadas ex 70. annis conflavit; Rabbini vero (b) ex singulis Jubilæis, sive ex 49., vel 50. annis unamquamque hebdomadam constituerunt. Sed hæc omittamus: etenim a communi, & recepta apud Catholicos Scriptores sententia abhorrent, quæ in annorum hebdomadis stabiliendis, dies pro annis deputans ex 70. hebdomadis summam conficit annorum 490.: quod quidem, & Prophetarum scribendi characteri consonat (c); nec prophanis Auctoribus (d) ignota fuit hujusmodi annos putandi ratio. Sunt ergo, qui annos hos 490. non solares, sed lunares volunt. Itaque brevius aliquanto tempus a Daniele, sive Danieli ab Angelo indicatum faciunt, cum annos ponunt dierum 354. Hujus sententiæ Princeps Julius Africanus cum in peculiari opere de 70. hebdomad., & Prophetia Danielis, tum libro 5. χρονογραφιῶν; unde totam ejus disceptationem repræsentarunt, Eusebius (e), Hieronymus (f), Syncellus (g). Hunc postea secuti sunt Theodoretus, Beda, Rupertus, Zonaras: item Pererius (h), Salianus (i), Torniellus (k), & præ cæteris Daniel Hvetius, qui eam opinionem erudite, ut solet, acriterque propugnat (l).

F 2 Alte-

(a) Tract. 29. in Matth.
(b) Apud Galatinum lib. 4. cap. 14., & Lyranum in Daniel.
(c) Patet ex cap. 4. Ezechiel., & Apoc. 12., & 13.; & hic in Daniele pro dimidio hebdomadis unius anni tres cū semisse assignantur.
(d) Varro apud Gellium lib. 5. cap. 10., & Apollodorus lib. 3. Biblioth.
(e) Lib. 8. Demonstr. Evang.
(f) In cap. 9. Daniel.
(g) Pag. 323. edit. Paris. 1652.
(h) In cap. 9 Daniel.
(i) Ad an. Mund. 1609. num. 7., & 9.
(k) In Annal. Sacr. ad a. m. 3546. num. 6.
(l) Demonstr. Evang. prop. 9. num. 9.

Alterum controversiæ caput erat hebdomadum apud Danielem instituta partitio. Etenim Daniel universum hebdomadum 70. σύστημα in tres veluti rationes partiri videtur; in 7. hebdomadas; in hebdomadas 62., & præterea in solitariam quamdam hebdomadam. Scaliger, & Grotius primam illam divisionem in 7., & 62. institutam putant Hebræorum more perfectum numerum scindendi in plures particulas; neque aliter hic factum, atque Ezechielis illo in loco, ubi habetur (*a*) porro viginti sicli, & quindecim sicli minam faciunt. Atque hoc etiam apud Hieronymum Hebræi significant (*b*). Contra Tertullianus, Theodoretus, aliique hebdomadas illas 7. a cæteris divellunt, atque hi posteriores eas faciunt, subiiciuntque aliis 62. Hvetius quoque minæ illam, & hanc hebdomadum partitionem occulti alicujus mysterii argumentum continere putat, quod ibi ipse declarat. Ex Etherodoxis præcipue Nevvtonus (*c*) peculiarem epocham septem his diversam a reliquarum epocha, quærendam esse putat.

Atque hæc nimirum causa fuit, cur aliqui circa terminum etiam, quem spectarent hebdomadæ dissentirent. Putarunt enim si 70. hebdomadas ad Christum deducerent, nihil habituros, quod pro termino primæ epochæ 7. hebdomadum, quem ab hoc diversum esse arbitrabantur, statuerent. Id præ cæteris constat in Joanne Marshamo, hic (*d*) posteaquam observavit in Pagnini editione post 7. hebdomadum numerum, στιγμὴν esse positum, totius, inquit, negotii cardo est 7. hebdomadum epocha, deinde vult duplicem a Daniele Christum distingui; primum Cyrum post 49. annos ab anno captivitatis vigesimo, quando Angelum Danieli apparuisse contendit, & unde vult computum esse ineundum: secundus Christus, quem Daniel occidendum, dicit Marshamo Sacerdotes sunt sub Antiocho Epiphane dispersi, sacrorum cessatio, prophanatio Templi, quæ per annos circiter tres duravit, donec Templum a Juda Machabæo expugnatum fuit, atque hoc post hebdomadas 62. a soluta captivitate. Hunc 70. hebdomadum terminum statuisse etiam Porphyrium, Josephum, & Auctorem I. Ma-

(*a*) Cap. 45.

(*b*) Loc. cit. ... *nec nos inquiunt moveat, quod primum numerantur 7. hebdomadæ, & postea 62., & rursum 1., qua in duas partes dividitur est enim hoc idioma Sermonis Hebraici, & antiquorum Sermonis Latini, ut antea minorem numerum supputent, & postea maiorem.*

(*c*) Cap. 10. observ. ad Daniel.

(*d*) Can. Chronol. Sæc. XVIII.

Machabæorum putat Calmetus. Harduinus (*a*) duplicem, & ipse terminum statuit, duplicemque Christum; Cyrum post 7. hebdomadas; post hebdomadas 62. a primo Cyri, Judam Machabæum; quod dicitur post primum terminum *Sanctus Sanctorum*, intelligit de Josue filio Josedech mactandis sacris Victimis destinato Sacerdote; quod post 62. fertur, *ungendum, alterum Sanctum Sanctiorum, & neci tradendum*, explicat de Onia Summo Sacerdote: docet autem, hoc totum ad CHRISTUM JESUM referendum, atque illius hos figuras veluti quasdam, atque umbras fuisse. Alterum systema post hos procudit Calmet (*b*), in quo ipse quoque *per Christum Ducem* Cyrum intelligit; *per Christum, qui post hebdomadas 62. occidetur* Oniam *per Ducem venturum* Antiochum: itaque in præcipuis capitibus cum Harduino convenit. Quamquam hoc systemate proposito vulgarem aliam sententiam subjungit, ejusque asseclam se profitetur. Non desunt etiam apud Augustinum (*c*), & apud Hieronymum (*d*), qui totum hoc vaticinium de Antichristo exponentes periodi hujus exitum cum mundi fine componunt. Sint sane isti reprehendendi, & salutis nostræ Reparator, ac Vindex CHRISTUS JESUS prophetiæ hujus scopus cum plerisque PP. constituatur: inveniuntur tamen ex his non pauci, qui ultimam hebdomadam Danielis ad mundi finem pertinere credunt; ita S. Hyppolithus: alii ad Apostolorum prædicationem, propagationemque Evangelii, ita Theodoretus, & Eusebius: denique, qui ad Hierosolymæ expugnationem a Tito factam, ita S. Joannes Chrysostomus (*e*), Clemens Alexandrinus (*f*), & Origenes (*g*); licet alibi (*h*) hebdomadum terminum figat in CHRISTI natalibus. Quamobrem de termino annorum indicatorum a Daniele ab Interpretibus disceptatur, atque eos alii in Machabæis finiunt, alii in CHRISTI Nativitate, alii in eversione Templi per Romanos, alii in exitu mundi. Omitto sententias alias ex Hebræorum libris depromptas, quas Interpretes, & Theologi commemorare solent (*i*), quarum est una recentioris Judæi cujusdam exposita in collatione Philippi a Limboch.

Omnino major est dissensio circa harum hebdomadarum ini-

(*a*) In Chronol. Vet. Testam.
(*b*) In Dissert. de 70. Septiman. Daniel.
(*c*) Epist. 197. al. 78.
(*d*) In Daniel.
(*e*) Hom 3 contra Judæos.
(*f*) Lib. 1. Stromat.
(*g*) Tract. 29 in Matth.
(*h*) Lib 10. Stromat ap. Hieronym. in Daniel.
(*i*) Galatinus, Peterius, Suarez, Calmet &c.

initium. Antiquissimi Patres Origenes, & Eusebius dissentionem hanc prodidere. Nam Origenes modo (*a*) ab Adamo repetit illarum initium; modo (*b*) ab anno primo Darii Medi. Eusebius vero (*c*) hypotheses tres in medium adducit: in prima orditur ab anno primo Cyri; in secunda ab anno sexto Darii Hystaspis; in tertia quasi sibi ipse diffidens alterutrum ex his initiis eligendi liberam potestatem facit. Ex reliquis Auctoribus I. Lyranus, Burgensis, Vatablus, Galatinus, & alii nonnulli Hebræos secuti inchoandas esse volunt ante captivitatem Babilonicam ab anno, vel quarto, vel undecimo Sedeciæ. II. S. Hyppolithus (*d*) inchoat ab anno 50. ante captivitatis finem. III. Tertullianus (*e*) computum instituit ab anno primo ante Monarchiam Cyri. IV. Clemens Alexandrinus (*f*), Joannes Mariana (*g*) ab anno primo Cyri, & Darii Medi, & a Dario quoque Medo S. Cyrillus Hierosolymitanus (*b*), quem per errorem cum Dario Hystaspi confundit. V. A secundo Darii Hystaspis Driedo (*i*), & Cornelius Jansenius. VI. Severus Sulpicius, quem sectatus est Scaliger, Joannes Drusius, & Constantinus l'Empereur a Dario Notho, quem Ochum ipse vocat. VII. Cedrenus, Cornelius a Lapide, Jacobus Ayrolus, & Etherodoxi plurimi (*k*) a septimo anno Artaxersis Longimani. VIII. Julius Africanus, Chrysostomus, Theodoretus, Rupertus, Beda, Carthusianus, Comestor, Zonaras, S. Antoninus, Pererius, Torniellus, Salianus, Huetius, Lamy ab anno vigesimo ejusdem Artaxersis: atque horum alii, quorum Princeps Petavius (*l*), (qui præcursorem tamen habuit Pererium,) deinde Ricciolius (*m*), Tirinus, le Pellettier &c. duplicem Regni ejus epocham statuunt; unam a Xersis morte; aliam ab anno, quo vivo Patre est in Regni communionem accitus, atque ab hoc, (qui ferme in prioris sententiæ annum relabitur apud multos opinionis hujus Patronos) computationem ordiuntur.

Hinc jam, opinor, constat quanta sit hujusce quæstionis obscu-

(*a*) Tract. 29. in Matth.
(*b*) Lib. 10 Strom.
(*c*) Lib. 8. Dem. Ev. & ap. Hieronym.
(*d*) Ap. Hieronym.
(*e*) Lib. adv. Judæos.
(*f*) Lib. 1. Stromat.
(*g*) In Scholiis ad cap. 9. Daniel.
(*b*) Catech. 12.
(*i*) Lib. 3. de Ecclesiast. script. & dogmat. cap. 5 part. 4.
(*k*) Helvicus, Buchelerus, Jacobus, & Ludovicus Cappelli, Funccius, Angelocrator, Nevvtonus &c.
(*l*) Lib. 12. D.T. cap. 32.
(*m*) In Chronol. ref.

obſcuritas, atque incertitudo, ut meritò doctiſſimi PP. in eam ingreſſi veritatis aſſecutionem deſperaverint; ut Origenes, qui in hunc locum affirmavit; verè quidem compræhendere Sermones Danielis nullius eſſe, niſi Spiritus Sancti, qui fuit in Daniele: vel omnino ab ea explicanda ſint deterriti, ut Auguſtinus, qui, quemadmodum bene Pererius animadvertit quotieſcumque in hanc quæſtionem offendit, ejus tractationem conſulto declinat; & Hieronymus, qui in Danielis commentario profitetur ſuam ſe promere nolle ſententiam, cauſatus periculoſum eſſe de Magiſtrorum Eccleſiæ judicare ſententiis, & unum alteri anteferre. Atque in hæc Hieronymi verba animadvertens Heſychius ad Auguſtinum ſcribens (a): *Si ipſe*, inquit, *doctiſſimus vir compresbyter noſter, ait, periculoſum eſſe de Magiſtrorum Eccleſiæ judicare ſententiis, & alterum præferre alteri, quanto magis hoc lector facere non poteſt, quod Magiſter facere dubitavit*. Nihil eſt ergo, quod quiſquam miretur in tanta rerum obſcuritate, quemlibet reperire poſſe, quod ſententiæ ſuæ patrocinetur. Deckerius (b), & Seneſchallus (c) pro ſua opinione hunc Danielis locum allegant: pro ſua Grandamicus (d); item Graveſonius (e), & M. Antonius Cappellus pro ſua: idem fecit Mannius (e); Grammaticus vero eo progreſſus eſt, ut dimidium ultimæ hebdomadæ, veluti Geometrico radio dimenſus, hoc maximè uſus ſit ad opinionem ſuam confirmandam. Nobis vero, cum omnes, quod ſibi faveat inveniant, nihil hinc decerpere poſſe in rem noſtram videtur: adeo omnia incerta, obſcura, dubitationis, & hæſitantiæ plena. Diffiteri tamen non poſſumus duas eſſe præ cæteris opiniones probatiſſimas, eaſque propoſuit, & reliquis antetulit vir doctiſſimus Gaſpar Sanctius (f), quæ ab anno Artaxerſis ſeptimo, quæque ab anno ejuſdem vigeſimo hebdomadas auſpicatur, & media ultima hebdomada CHRISTUM tradit occiſum. Atque eaſdem tamen arbitramur eſſe hujuſmodi, ut in iis quælibet ex ſententiis, quas ſupra recitavimus patrocinium reperire poſſit. Etenim ſedulo animadvertendum eſt non annos, ſed hebdomadas in ea Prophetia nominari, & quamvis annorum hebdomadæ intelligantur, multum ſane intereſt

(a) Ep. inter Aug. 193, vel 79.
(b) Tora 4 parte veliſic.
(c) Qu. 3. cap. 16.
(d) Lib. 1. cap. 3.
(e) Loc. cit.
(f) In Daniel.

tereſt inter utramque denominationem. Sic quamvis dies tres horæ ſint 72., aliquid intereſt utrum dicas CHRISTUM in Sepulchro fuiſſe tres dies,an vero dicas in Sepulchro fuiſſe horas 72.: etenim primum veriſſimè dicitur, & in Scriptura reperitur; alterum colligitur eſſe ex eadem Scriptura falſum. Quamobrem videtur non abſurde ſtatui poſſe, quantum in triduo CHRISTI Sepulturæ demendum eſt de prima, & tertia die; tantumdem, proportione ſervata, de prima, atque ultima hebdomada poſſe detrahi. Si hoc eſt per 13. annos devagari vaticinium poteſt, quin de ejus veritate quicquam dematur. Atque hinc fortaſſe factum eſt, ut a ſummis viris in Prophetia hac explicanda tamdiu ſit laboratum exiguo fortaſſe fructu, quod de uno, vel altero anno ſolliciti eſſent, cum de hebdomadis annorum ſermo ſit inſtitutus; & quidem de hebdomadis, quæ abbreviatæ ſunt, ſive ut a ſeptuaginta dicuntur *ἑβδομάδες συνετμήθησαν*, ideſt decurtatæ, & conciſæ ſunt. Neque vero eſt, quod ſcrupulum alicui iniiciat, quod legitur *poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus*, *aut*; *in dimidio hebdomadis deficiet Hoſtia*, *& Sacrificium*. Etenim eadem loquendi forma dictum invenimus: *poſt tres dies reſurgam*, *poſt triduum reædificabo illud .... dicebat de templo Corporis ſui*. Alterum vero ita accipiendum eſt, ut ſpectet remote ad extremam mundi hebdomadam; proximè vero, & quaſi in typo ad hebdomadam illam, qua prophanatum eſt templum, & Hieruſalem a Romanis everſa: id enim colligitur manifeſto ex iis,quæ in Danielis loco illo ſubiiciuntur; *Et erit in Templo abominatio deſolationis*; quem locum CHRISTUS appellat apud Matthæum *(a)*. Sed longius,quam par eſt in eo charactere immoramur, ex quo nihil præſidii ad annum CHRISTI Mortis determinandum deducere poſſumus.

## §.V.

## *De nota Olympiadum.*

BEne monuit Auguſtinus *(b)*: *per Olympiades*, *& Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur a nobis*, *& ignorantia Con-*

(a) Cap. 24.; *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta &c.*

(b) Lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 29.

*Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est coegit multos errare*; additque ex historia gentium cum Evangelica collata multo id certius, clariusque colligi. Et commodum accidit, ut qua Olympiade, & quoto Olympiadis anno mortuus sit CHRISTUS traderetur a viro Ethnico Phlegonte cum defectionem solis memorat, quæ tunc temporis evenisse perhibebatur. Ejus locum retulit Eusebius in Chronico, in quo ex interpretatione D. Hieronymi hæc leguntur: *quo tempore etiam in aliis Ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus. Solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia terremotu concussa, & in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt; quæ omnia his congruunt, quæ in Passione Salvatoris acciderunt. Scribit vero super his, & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est in 13. libro ita dicens; quarto autem anno 202. Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio solis est facta; dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut Stellæ in Cælo visæ sint, terraque motus in Bithynia, Nicænæ Urbis multas ædes subverterit. Hæc supradictus vir*. Hoc idem Phlegontis testimonium cum notatione temporis, nempe Olympiadis 202. anno 4. invenitur etiam in Chronico Alexandrino *(a)*, & apud Philoponum *(b)*. Hac auctoritate maxime confisi Natalis Alexander *(c)*, Grandamicus *(d)*, Ricciolius *(e)* annum statuunt CHRISTI emortualem vulgaris æræ 33. Verum mirari subit ante omnia Africanum apud Syncellum Eclipsim hanc ex Phlegonte referentem *(f)* modo eodem, quo apud Eusebium legitur anno eam consignare; *(g)* modo Olympiadis 202. anno 2. Atque hunc posteriorem locum nequaquam esse corruptum illud persuadet, quod iidem numeri, idemque annus habetur in Eusebii codicibus *(h)*, atque in codicibus Hieronymi *(i)*, qui fragmentum illud ambo recensent. Quamobrem notationes istæ temporum dubiæ, suspectæque esse cœperunt viris doctis,

F qui

(a) Pag. 219. edit. Parif. ex recens. Ducangii.
(b) Lib. 2. de Mundi creatione cap. 21.
(c) Sæc. I. Diss. 2.
(d) Lib. 1. cap. 2.
(e) Lib. 8. Chr. cap. 12.
(f) Pag. 308. edit. Parif. ex recens. Goarii.
(g) Pag. 322.
Φλέγων ἱστορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος ἐν πανσελήνῳ ἔκλειψιν ἡλίου γεγονέναι τελείαν ἀπὸ ὥρας ἕκτης, μέχρις ἐνάτης. δῆλον ὡς ταύτην..... ἐπὶ τούτων τῶν χρόνων ὅι ἦν ὀλυμπιάδος σβ΄ ἔτος δεύτερον.
(h) Lib. 8. Demonstr. Evangel.
(i) In cap. 9. Daniel.

qui numeris illis in Eusebiano Chronico, atque ab eo Chronico in alios libros translatis diffidunt. Et Chronologum quidem Alexandrinum, atque Philoponum sua ex Eusebii codicibus mutuatos patet verba horum inter se conferenti. Quamobrem Kepplerus, & Petavius corruptum Eusebii textum suspicantur, annumque Olympiadis alterius manu, quam Eusebii appositum. Idem de Africani loco apud Syncellum, qui eandem notam habet, censet Pagius, & pręterea Africanum putat (*a*) duplici usum modo Olympiadas computandi; primo vulgari, & communi, altero, qui communes Olympiadas antevertit biennio. Etenim apud Syncellum idem Africanus statuit primam Olympiadem anno periodi Alexandrinæ 4726., qui est annus Antiochenæ periodi 4716., periodi Julianæ 3936. At primum agonem Iphiti, sive Olympiadum initium fuisse anno periodi Julianæ 3938., ante CHRISTUM 776. fermè convenit inter eruditos, ut videre est apud Gyraldum (*b*), Kristmannum (*c*), Paulum Crusium (*d*), Ubbonem Emmium (*e*), Scaligerum (*f*), Panvinium (*g*), Petavium (*h*), Ricciolium (*i*), Usserium (*k*). Quare idem Petavius (*l*) inter epochas illas, de quibus inter se conveniunt Chronologi hanc secundo loco recenset: ergo illo loco Africanum communem epocham antevertit biennio. Præterea apud eumdem Syncellum captam refert Alexandriam initio Olympiadis 188.; constat vero eam ab Augusto subjugatam anno periodi Julianæ 4684., cui juxta vulgarem Olympiadum putandarum methodum respondet Olympiadis 188. annus 3., dissidet igitur biennio. Atque hanc alteram Olympiades putandi rationem imitatus videtur Auctor Anonymus, qui Chronicon edidit ab Orbe condito ad annum 13. Alexandri Severi (*m*): ait enim, *sunt omnium Olympiades usque ad annum* 13. *Alexandri Cæsaris Olympiades* 253., *quæ sunt anni* 1012. Jam vero diligentissimis Chronologis Petavio (*n*), Blanchino (*o*), Virginio (*p*) Valsecho annus 13. Severi

(*a*) Ad an. 34. Baronii ann. 13.
(*b*) Lib. de an. & mens.
(*c*) In Alphragan. de connex. ann.
(*d*) Lib. de epoch.
(*e*) Lib. 2. de Græc. & La. Chronol.
(*f*) Lib. 5. de Emendat. temp.
(*g*) Lib. 1. comm. in fast.
(*h*) Lib. 9. D. T.
(*i*) Lib. 3. Chronol.
(*k*) In Annal.
(*l*) Part. 2. Rationar. lib. 3. cap. 15.
(*m*) Tom. 2. var. Canisii.
(*n*) Lib. 11. D. T. cap 16.
(*o*) Tom. 2. Anastas. in Chron.
(*p*) In dissert. de initio Imperii Severi Alexandri edita Florentiæ 1715. Aliam ediderat ibidem 1711. de M. Aurelii Elagabali Tribunitia Potestate V. utrobique tuetur sententiam suam de initio Severi mense Martio an. 222.

veri incipit anno æræ vulgaris 234. mense Martio, quando juxta communem supputationem decurrit annus 2. Olympiadis 253. *(a)* Itaque ille Anonymus, quem Blanchinus Hyppolitum Thebanum vocat, non Olympiadem vulgarem, sed Africanam usurpat. Usurpare vero Africanum etiam vulgarem modum patet ex eodem Syncello *(b)*, ubi annos computat ab Adamo ad CHRISTUM; & quando Consulatum Severiani Grati, & Seleuci ponit initio Olympiadis 250. Pagius ergo Africanum eo loco, quo Eclipsim hanc contigisse affirmat anno 2. Olympiadis 202., designari putat annum æræ vulgaris 29., quod biennio anticipet vulgares Olympiadas, alium vero locum, qui Olympiadis 202., exhibet annum 4. corruptum existimat, atque ita corruptum, ut mendum non in anno, sed in Olympiade cubet, reponendumque pro σϐ' ὀλυμπιάδες, sive Olympiadis 202. σα' ὀλυμπιάδος Olympiadis 201.: etenim ibi vult communem secutum computandi rationem. Hoc totum ille probat, quod ipse Africanus, ut etiam Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, qui vel anno Tiberii 15., vel duobus Geminis Coss. CHRISTUM mortuum constituerant, hanc Eclipsim contra Ethnicos afferant ad Religionis nostræ dogmata confirmanda: quod si alio anno CHRISTUM mortuum, alio accidisse Eclipsim tradidissent non mortem, inquit, CHRISTI miraculosam, quod intendebant Gentibus persuasissent, sed se ipsos ludibrio exposuissent. Idem pro Phlegontis testimonio valet: Etenim Petavius *(c)* optime arguit, *nunc illud respondeant velim, qui Phlegontis testimonio nos oppugnant; ecquid Africanum, Eusebium, Hieronymum Phlegontis libros legisse putent? quod quia de Africano saltem negare non possunt, dicant porro; quid in illis judicii fuisse censeant, si cum apud Phlegontem observassent horribilem solis Eclipsim anno 4. Olympiadis 202. contigisse, & eam esse vellent, quæ moriente* CHRISTO *contra naturæ ordinem apparuisset; atque id ipsum ethnici illius auctoritate suaderent; si hanc, inquam, non anno illi, quo iste scripserat, sed alteri tribuissent satin' sanos illos arbitrentur?* Deinde concludit, ne tantum stuporis antiquis illis Patribus affingatur fateri propemodum necesse esse loca illa a librariis corrupta. Sed viden-



(a) Joannes Vignolius in differt. de anno primo Imperii Severi Alexandri edita Romæ 1712. initium Alexandri statuit eodem anno mense Julio. Hunc Valsechus refutavit.

(b) pag. 314.

(c) Lib. 12. D.T. cap. 21.

videndum est sane, quomodo Petavius ipse, & Kepplerus Eusebiani Chronici locum restituant *(a)*. Arbitratur ergo Eusebium scripsisse Petavius *(b)* τῷ δεκάτῳ ἔτει τ σϛ' ὀλυμπιάδος, aut certè τῷ ʒ ... ἔτει extrita numerali notula: Hieronymi vero anagnostem legisse τῷ δ'; atque hoc egregie tuetur simillimo exemplo ex Diodori loco, quem ex primo Bibliothecæ libro citat Eusebius in excerptis Scaligerianis. Cum enim Diodorus scripsisset Assyrios imperasse annis ατ' ὡς φησὶ Κτησίας 'ἐν τῇ δευτέρῃ βίβλῳ: in excerptis legitur 'ἐν τῇ δ' βίβλῳ. Mihi, ut ingenue fatear, postrema hæc Petavii conjectura maxime placet; & cum Phlegontem, tum ejus verba referentem Eusebium annum tacuisse Olympiadis valde dubito. Nam I. S. Maximus *(c)* Phlegontem laudans Olympiadem ipse quoque nominat, Olympiadis vero annum prætermittit. II. Cedrenus profitetur se Græcorum commentariorum, in quibus Eclipsim hanc notatam invenit verba ipsa prolaturum *(d)*, deinde ipsorum verba referens omnino de Olympiade tacet III. tacet annũ illum Olympiadis Scaligeriana editio Eusebii *(e)*; tacet Eusebius apud Joannem Meursium in notis ad Phlegontis fragmentum *(f)*; tacet Eusebii testimonium allatum a Petro de Alliaco. An hæc in genuinis illis locis minime inerat, sed alii adjunxerunt, vel errore, vel consulto, prout quisque CHRISTUM mortuum hoc, aut illo tempore suspicabatur? An vero Phlegontis descriptores locum corruptum viderunt, adeoque satius arbitrati sunt anni notationem reicere? Enim vero cum recitaturus Phlegontis verba Cedrenus dicat indefinitè καθ' ὃν καιρόν; deinde omittens temporis peculiarem illam notam ipsa verba ad unum habeat, quæ Philoponus, Auctor Chronici Alexandrini, atque Eusebius habet, poterit aliquis suspicari; utcumque Phlegon certum quoddam tempus designaverit, Patres tamen incertos fuisse, utrum illud tempus anno CHRISTI mortis perfectè responderit; atque ideo dumtaxat significare voluisse, non longe Phlegontis Eclipsim abesse a CHRISTI morte, & posse etiam illi tempori convenire? Origenes

*(a)* Sykes in differt. super hoc argumento edito, referturque Biblioth. Britann. Tom. 3. part. 1. an. 1734. In Eusebii textu pro σ putat irrepsisse ʒ.
*(b)* Lib. 11 D T cap 21.
*(c)* In Schol. ad Dionys. ep. 7.
*(d)* Pag. 188. edit. Paris. καθ' ὃν καιρὸν τῇ 'ἐν ἄλλοις μὲν Ἑλληνικοῖς ὑπομνήμασιν εὕρομεν ἱστορημένα ταῦτα κατὰ λέξιν. ἐγένετο.
*(e)* pag 188
*(f)* Tom. 9. Thes. Gronov.

gefies quidem (*a*) Phlegontem producit nulla facta notatione Olympiadis, dum ait *Phlegon quidem in Chronicis suis scripsit, in principatu Thiberti Cæsaris factum &c.* Quidquid de hac nostra conjectura fit, illud pro demonstrato haberi posse mihi videtur, nihil ex hoc charactere certi pro constituendo mortis CHRISTI anno erui posse: eo enim aliqui supramemorati annũ 33., alii 31., alii 29. vulgaris æræ probare contendunt, & hisce quidem Africanus, ut ab Eusebio, Hieronymo, & quandoque Syncello producitur favet, illis primis vero Phlegon, ut in Eusebio legitur, ex quo cęteri exscripserunt. Pręterea hujusmodi textus corruptos fuisse cum magna sit apud eruditos, nec improbanda suspicio, quid, quęso, inde colligere licebit? Quid si & Phlegon, & Africanus, qui Phlegontis testimonio nititur de prodigiis CHRISTO moriente factis nullam omnino mentionem fecerunt, & naturalem quamdam Eclipsim notaverunt, quæ sub meridiem in Syria contigit anno æræ vulgaris 29. die 24. Novembris, Olympiadis 202. anno I.? Ita Kepplerus censet (*b*), eique favet Decherius (*c*), nec Petavius repugnat (*d*): novissime vero fusè id probare contendit in dissertatione sua Sykes (*e*). Quod, ne quid desit attulimus, non quasi de eo & nos dubitemus; eos namque Authores peculiari in dissertatione (*f*) refutavimus: Antiqui enim omnes, qui exhibent testimonia illa, ea de prodigiosa solis defectione, quæ CHRISTO moriente contigit intelligunt, & vix, aliter, qui probè Phlegontis narrationem perpendat potest existimare, hoc obiter innuimus. Etenim nos ille aliquando timor incessit, ut vereamur; ne quod objectum est Danieli Hvetio, & nonnullis summis viris, Pyrrhonismi alicujus, aut scepticismi crimine, nos quoque aliquis aspergat. Verum initio professi sumus, quid de singulis characteribus nobis videretur ingenuè significaturos; & non minus veritati eos esse adversarios censemus, qui dubia pro certis habent, quam qui incerta putant, quæ sunt ipsa per se certissima. Cæterum ex sequentibus characteribus in spem erigimur fore ut firmiora, atque certiora colligamus; & Augustini verba suprarelata Consulum notam præcipue spectare arbitramur. Etenim credi vix potest Reparatoris nostri mortis annum qui publi-

(*a*) In Math pag. 223.
(*b*) In Eclog. Chronol. & in tabul Rudolph.
(*c*) Annorat. 29.
(*d*) In animadv. ad Epiphan. pag. 276.
(*e*) Loco supra cit. contra quem acriter disputat Cl. Vviston differt. Editis, & in Bibl. Brit. Relat.
(*f*) Habita in Acad. E. H., quæ Romæ convenit ap. Doctrinæ, & pietate præstantem Præsulem A. M. Erbam.

publica sententia lata, totque admiribilibus rebus illustris, notusque fuit, latuisse antiquos Christianos, aut illum ad posteros non transmisisse eo modo annos numerandi, quo tunc passim toto orbe uterentur.

## §.VI.

## *De nota Consulatus.*

VEteres Scriptores, qui Consulum meminerunt, sub quibus CHRISTUS est passus recenset Baronius (*a*), Antonius Cappellus (*b*), Henschenius (*c*), Schelstratus (*d*). Est inter hos Tertullianus, qui ait (*e*); *CHRISTI passio perfecta est sub Tiberio Cæsare Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino*. Cæcilius, sive Auctor de mortibus persecutorum; *D. N. J. C. a Judæis cruciatus est post diem X. Kal. April. duobus Geminis Coss.* Lactantius (*f*); *duobus Geminis Coss. ante diem X. Kal. April. Judæi CHRISTUM crucifixerunt*. Catalogus antiquissimus Romanorum Pontificum, qui Liberianus dici consuevit, & a Bucherio, qui primum eum protulit scriptus putatur anno circiter 354.; *imperante Tiberio Cæsare passus est D. N. J. C. duobus Geminis Coss*. Severus Sulpitius; *Dominus crucifixus est Fusio Gemino, & Rubellio Coss*. Augustinus (*g*); *mortuus est ergo* CHRISTUS *duobus Geminis Coss*. Index antiquus Consulum apud Cuspinianum; *passus Dominus* CHRISTUS *Coss. duobus Geminis*. Fasti Consulares apud Labbeum (*h*); *Rufo, & Rubellione Coss. passus est* CHRISTUS. Victorius Aquitanus in Canone Paschali; *crucifixio* CHRISTI *Coss. duobus Geminis Fusio, & Rubellio*. Cedrenus, exactius tempus hoc CHRISTI mortis a Romanis notatum dicit; nimirum Gemino Consule (*i*). Itaque bene Prosper (*k*) traditionem hanc communiorem vocat; *usitatior*, inquit, *traditio habet Dominum nostrum* 15. *anno Tiberii Cæsaris duobus Geminis*

(*a*) Ad an. 34.
(*b*) Dissert. de Cœna Chr. supr. cap. 5.
(*c*) In Propil. 1. exercit. 1.
(*d*) Antiqu. Eccl. dissert 1. cap. 4.
(*e*) Lib. contra Jud. cap. 8.
(*f*) Lib. 4. Divin. Instit. cap. 10.
(*g*) Lib. 18. de Civit. cap. 54.
(*h*) Tom. 1. Bibl. mss. pag. 8.

(*i*) Pag. 188. καὶ χρόνος τοῦ σωτηρίου πάθους τοῖς Ῥωμαίοις μᾶλλον σεσημειωμένος· ἐν τῇ Γεμίνου ὑπατείᾳ πεπονθέναι αὐτὸν ἐσημειώσαντο.
(*k*) In Chronici Auctario ap. Labbeum Tom. 1. Bibl. mss. pag. 44.

*minis Coss. crucifixum* . Neque quicquam facit, quod nomina horum Consulum aliquantulum depravata in fastis Labbejanis, atque alibi legantur: facile enim in librariorum oscitantiam referri unius, vel alterius literæ mutatio potest. Nomina eorum leguntur in lapide apud Blanchinum, & Muratorium (a). Qui modo inter innumeras inscriptiones munificentia Clementis XII. in Capitolio collocatas conspicuus paret, illuc ex Cimelio Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Alexandri Albani antiquorum monumentorum solertissimi indagatoris, & literariæ Reipublicæ bono sumptuosissimi collectoris translatus:

C. FUFIO GEMINO<br>
L. RUBELLIO GEMINO COS.<br>
IIII. IDUS MAI OSSA INLATA<br>
LURIAE . P. L. APRILIS<br>
PARIETE II. COL. III.

Quamobrem constat plerosque Veterum in hac Consulatus nota consentire. Qui diversos Consules ab his proferunt paucissimi sunt, iique, Scriptores sequioris ævi, vel ætatis incertæ, aut Græci homines, & a Romana Urbe remoti. Chronicon Alexandrinum mortem CHRISTI collocat Prisco, & Vitellio Coss., qui juxta vulgares fastos Consules fuerunt anno communis æræ 34. Joannes Malala, ait, CHRISTUM sepultum Sulpitio, & Sylla Coss., idest anno 33. Syncellus CHRISTUM Cruci affixum ponit Nerone III., & Messala Coss.: qui annus est æræ Christianæ 58. Solus ex Veteribus Epiphanius a recepta apud cæteros opinione dissentit, traditque (b) CHRISTUM passum Vinicio, & Longino Cassio Coss., sed ipse quoque Græcus, sive potius Palestinus homo in Consulatibus digerendis nequaquam est diligenter versatus, nam Vinicium, & Longinum Cassium ait antecessisse Rufium, ac Rubellionem; atque ante hos collocat Gemi-

(a) Tom. I. nov. Thes. inscr. pag. 301. (b) Hær. 51. num. 22.

Geminos duos; quo loco aperte declarat, ut observavit etiam Petavius, existimasse Rufi, sive Fusii, & Rubellii, aut Rubellionis Consulatum diversum fuisse a Consulatu Geminorum. Præterea Epiphanius unus est ex veteribus, qui de anno CHRISTI emortuali uberius agit, quæstionemque instituit: itaque rationibus suis hancConsulatus notam accomodare censendus est. Cęteros vero existimare debemus id ex Ethnicorum tabulariis, aut veteri fama hausisse. Etenim tantus hic consensus; hæc vetustissimorum Patrum, inferioris ætatis Scriptorum, Iudicum, Cathalogorum conspiratio quid significat; nisi eos vetera quædam habuisse publica monumenta, quæ cum omnes legerent factum est, ut idem memoriæ posterorum mandarent, atque in eamdem omnes sententiam delaberentur? Nam si dicas unum ab altero, puta ex Tertulliano, cæteros exscripsisse; jam illud quæro cur diem quoque VIII. Kal. April. Lactantius, Cæcilius, Victorius, aliique non descripsere, cur tam multas opiniones, & tam diversos in reliquis characteribus reperimus? Valeat hic quod principio Dissertationis hujus posuimus, ex antiquis publicis monumentis arbitrandum esse ea PP. deprompsisse, in quibus omnes fere consentiunt; licet diffideant inter se in aliis, quæ eodem loco, atque illo orationis contextu proferunt. Sed non hic argumentatione opus quando Cæcilius ipse addit *id se scriptum legisse*. Quod si hoc Tertullianus, aliique ex antiquis monumentis collegerunt, sequitur, ut maxime hic valere debeat eorum auctoritas. Nec vero reperire est aliud, in quo tam multi doctissimorum Patrum, atque antiquissimorum Auctorum consentiant, quam in Consulibus, sub quibus CHRISTUS est mortuus designandis. Fatentur hoc ipsi qui contrariam illis sententiam tuentur Seneschallus *(a)*, Petavius *(b)*, Ricciolius *(c)* &c. Natalis vero dissentire de hoc illos, variamque opinionem attulisse, si potest, ostendat. Quamobrem nos, qui nullis sumus addicti partibus hoc ingenue confitemur; si consensus veterum in nota aliqua assignanda anni CHRISTI emortualis quæratur, hic reperiri maximum.

Sed cui vulgaris æræ anno Consulatus hujusmodi respondeat aliqua videtur esse controversia. Si Petavium, Pagium, Muratorium *(d)*, Stampa, cæterosque Romanorum fastorum illu-

*(a)* Qu.3. cap.1.
*(b)* Lib.12 D. T. cap.9.
*(c)* Lib.8. Chron.cap.12.

*(d)* Hi annos V. C. comparant cum annis æræ vulgaris; idem tamen, & reliqui sentiunt, dum characteres alios his adjungunt.

illuſtratores conſulimus, inveniemus ab eis annum indicatum vulgaris æræ 29. Duo tamen repugnant Monelia, & Blanchinus: nam quamquam uterque auctoritate preſſus fateatur in Geminorum Conſulatu CHRISTUM mortuum; tamen Monelia differre eum Conſulatum mallet ad annum æræ vulgaris 30., Blanchinus vero contendit incurrere illum in annum 28., Conſules omnes uſque ad annum æræ vulgaris 41. antevertens anno uno. Res erit cum Monelia breviter. Etenim *(a)* ideo ſolum arbitratur Conſules hos locum ſibi vindicare poſſe in anno 30., quod ejus anni initium facere poſſimus ab autumno anni ſuperioris 29., Judæorum, Syrorumque more. Nolo de hac conſuetudine diſputare; illud dico videri mihi plane conſtare, cum Patres ad deſignandum annum paſſionis Romanum morem annos notandi adhibuerunt, Romano more adhibuiſſe, atque ea ratione, qua cæteri omnes; nemo autem unus eo modo adhibuit, quo vult Monelia. Neque omitti debet eorum neminem, quos ſupra nominavi, & Conſulatus notam adhibuerunt, aut Syrum eſſe, aut Judæum.

Difficilius eſt cum Blanchino congredi: etenim pro ea, qua vir eruditiſſimus pollet aſtronomicarum rerum, & antiquitatis ſcientia ſubtilius multo contra receptiſſimam Conſulum ſeriem diſputat, pluraque conquiſivit, ut peculiare ſuum confirmaret ſyſtema; & primo affert ſolarem Eclipſim, quam Dio*(b)* prodigiis annumerat, quæ Auguſti mortem anteceſſerunt: Eclipſi autem ſolari nullus locus in anno 14. æræ vulgaris, ſed benè anno 13. die Aprilis 28. Cum ergo Auguſtus obierit XIV. Kal. Septemb. Sext. Apulejo, & Sext. Pompejo Coſs. procedere res aliter non poteſt, quam ſi eorum Conſulatum retrahamus ad annum 13. Hoc eſt præcipuum Blanchini argumentum, in quo ille triumphat *(c)*. Eſt præterea aliud, quod pluribus in locis velut invictum inculcat *(d)*, petitum ex A. Hirtii commentariis de bello Hiſpanienſi. Conſentiunt paſſim Chronologi annum, qui vocatur confuſionis incidere in tertium CeſarisConſulatum; annum vero, qui huic proxime ſuccedit, numeraturque ante Chriſtianam æram 45. fuiſſe illum, quo Cæſar quartum Conſulatum geſſit ſine collega. Hic etiam Julianus

G pri-

*(a)* Diſſert. 1. cap. 4. num. 24.
[b] Lib. 56. ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε.
[c] Opuſc. 4. Tom. 2. Anaſtaſ.
*(d)* Opuſc. 4.; in Chronolog.; & in not. ad S. Silveſtr.

primus dicitur, quod post Julianam anni correctionem primus decurrerit, & in Hispanica expeditione fuit a Cæsare maximam partem transactus. Blanchinus vero contendit hunc respondere anno ante æram vulgarem 46. Nam, inquit ille, hoc anno Cæsar in Hispanica expeditione occupabatur, estque is, cujus ephemeridem quamdam Hirtius contexit; Hirtius vero oculatus testis scribit *III. Non. Martii Cæsari castra moventi lunam visam hora noctis sexta*, (verba sunt Blanchini) (a) *opportune affulsisse. Id vero evenire nequaquam potuit anno primo novi styli Cæsaris cum eo anno ferente novilunium ex omnium sententia Kalendas Januarii, luna die 5. Martii triduo post Synodum cum sole infra horizontem descenderit hora noctis secunda, in nostra vero Chronologia annum confusionis attribuente Hispanicæ expeditioni Cæsaris contra Pompeii Liberos die III. Non. Martii, quæ diebus 361. præcedit novum stylum Julianum, & novilunium, ætas lunæ fuit dierum 23., & luna circa quadraturam cum sole constituta oriebatur circa horam noctis sextam; quemadmodum à Cæsare, & ab Hirtio visa est.* Hæc Blanchinus, qui videtur duo in Hirtio legisse; lunam apparuisse hora sexta *nocturna*, & tunc visam in Orizonte. His ergo argumentis inductus annum unum omnes Consulatus promovendos censet usque ad annũ 41. Etenim eo anno cum inciderit Caii Cesaris mors adiiciendum putat vulgaribus fastis par Consulum; nimirum hos Consules fuisse e fastis expunctos, quod de restituenda rep. solliciti in Claudii creationem minime consenserint. Hoc Blanchinus deprehendere sibi visus est in Joannis Malalę Chronographia, ubi dicitur: Cajo successisse in Imperio Claudium Cesarem Germanicũ Cassio, & Solone Coss.: cum enim Consules hi nusquam appareant, deprehendisse se existimat par Consulum expunctum ex fastis. Admonet tamen male eorum nomina descripta a Malala; sed ea sincera legi in tessera gladiatoria apud Fabrettum:

MARTIALIS
MANLII
SP. K. IAN.
TI. CATIO P. CAELER.

Itaque Titum Catium, & Publium Cælerem, sive Cælerinum constituit Consules anno æræ vulgaris 41.

Hæc

(a) In Chronol. Illmus Blanchinus fusam de annis Christi promisit diss. tot 3. Anas. annectendam, cui nusquam juncta fuit; attamen scio manuscriptam extare, apud Eruditissimum ipsius nepotem P. Blanchinum inter postuma summi viri opera vulgandam.

Hæc tamen omnia a receptiſſima inter Chronologos opinione removere nos nequaquam poſſunt. Et primo ſolari illi Eclipſi, quam ex Dione affert aliam opponimus, quę auctore eodem Dione (a) contigit Cn. Cornelio Cinna Magno, ac Valerio Meſſala Coſs. Etenim hanc Eclipſim ſupputans Petavius invenit accidiſſe anno P. J. 4718., æræ vulgaris 5.; ergo tunc erant Conſules Cinna, & Meſſala, quemadmodum habentur in faſtis. Hæret hic Blanchinus, & fatetur huic anno Eclipſim hanc adſcribendam: itaque adſcribit (b), ſed nunc quando rationibus ſuis Dio nocet, fidem Dioni non adhibet, atque erraſſe illum contendit in Conſulibus ejus anni adſcribendis, alioſque ipſe conſtituit ab iis, quos Dio ponit diverſos. Quidni ergo idem nobis in altera Eclipſi facere licebit, & memoria lapſum Dionem affirmare? Atque inter me, & Blanchinum intererit ſane plurimum, ego pro communi cauſa tuenda id faciam aliis plurimis rationibus abundans; ille pro ſingulari ſententia ſua argumentum præcipuum immo unicum, ut videbimus, quod vim aliquam præſeferat, adducens. Ego Dionem induco id narrantem ubi nihil, vel novum, vel inauditum, vel incredibile profert; Ille Dionem allegat prodigia referentem ſub Imperatoris mortem ea, quę vix ſint fidem inventura, ut ligna ignita cecidiſſe de cœlo, ſanguine veluti manantes ſtellas viſas, aliaque hujuſmodi. Et ſane ea ſolitos Romanos adulatione quadam comminiſci, vel ex incertis rumoribus ſpargere in vulgus conſtat ex Julii nece, quam prænuntiatam ferunt plurimis, atque incredibilibus oſtentis, & inter hæc defectione ſolis, de qua non ſolum Virgilius (c), ſed in Virgilii locum Servius; *occiſo Cæſare in Senatu pridie Idus Martias ſolis fuiſſe defectum ab hora ſexta uſque ad noctem*; Plinius (d), *fiunt prodigioſi, & longiores ſolis defectus, qualis occiſo dictatore Cæſare*; & Dio (e) τό τε φῶς τὸ ἡλίου ἐλαττοῦσθαί τε καὶ σβέννυσθαι. Conſtituat nunc Blanchinus annum, quo a Veteribus his ſcriptoribus, atque a Dione ſuo memorata in Julii Cæſaris nece Eclipſis collocetur; nullum profecto erit repertu-

 rus,

(a) Lib. 55. pag. 565. τότε δ' ἦν ἐπί τε τοῦ Κορνηλίου καὶ ἐπὶ Οὐαλερίου Μεσσάλου ὑπάτων σημεῖα τε ἐξαίσια συνέβησαν, καὶ ὁ Τίβερις τήν τε γέφυραν κατέσυρε, καὶ πλωτὴν τὴν πόλιν ἑπτὰ ἡμέρας ἐποίησε, τοῦ τε ἡλίου τι ἐκλιπὲς ἐγένετο.

(b) Tom. 2. Anaſt. pag. CLXVI.

(c) Georg. 1.

(d) Lib. 2. cap. 30.

(e) Lib. 45.

rus. Petavius, Ricciolius, cæterique Chronologi, & rationes ipsæ subductæ testantur, neque altero anno Juliano, neque primo, quo illa esset Blanchino collocanda ullam fuisse solarem Eclipsim. Quamobrem cum ista in Imperatorum morte ostenta referunt Historici magis ex vulgi sermone multa, aut metu, aut adulatione confingentis accipienda sunt. Solis pallorem quemdam citra Eclipsim ullam interpretatur Petavius, & cum Petavio Harduinus in Plinium; idque sext. Aurelius Victor, & Plutarchus indicasse omnino videntur (a). Cur vero in simillima Augusti causa idem commissum non arbitremur? nimirum cum solis pallorem quemdam viderent, aut vidisse se existimarent in tanta rerum omnium turbatione, ac metu Eclipsim affirmarunt extitisse. Bene ergo Petavius (b) de prodigio hoc sub Augusti mortem: *vel Dio*, inquit, *falsus est*, *vel inusitatus aliquis pallor sideris*, *& obscuritas defectionis speciem intuentibus præbuit*. Quidquod idem Dio (c) ante Philippense bellum cùm visa refert multa ostenta, tùm præcipuè solis orbem minui visum, ac subinde crescere? Hic quoque, aut Dio credulitatis est damnandus, aut cum Petavio pallor iste solis huc etiam advocandus. Et cæteros quidem, quibus nimium frequens pallor hujusmodi videbitur facile patior Dionis potius fidem desiderare; Blanchino Astronomo rationem hujusce rei proferam e media Astronomia. Christophorus Scheiner (d), ubi Eclipses has sub Julii, & Augusti mortem ex Plinio, & Dione retulit, alia recentiorum scriptorum loca profert (e), in quibus eclipses quædam singulares commemorantur; præcipuè in Annalibus Francicis apud Pitheum, in quibus anno Lotharii Regis 3., CHRISTI 954. legitur *Eclipsis solis facta est XV. Kal. Januarii*, *& Stellæ a prima hora usque ad horam tertiam apparuerunt*. Deinde Scheinerus subdit; id propter aspectum tam diuturnum siderum in Eclipsi solari videri posset alicui valde esse suspectum; cum vero Auctor istorum Annalium

(a) Plutarch. in Cæsare ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν.

(b) Lib 13. cap. 6.

(c) Lib. 47.

(d) Rosæ Ursinæ Part. 2. lib. 4. cap. 13.

(e) Cedreni loca duo primũ ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ ὁ ἥλιος ὥσπερ ἡ σελήνη χωρὶς ἀκτίνων τὴν αὐγὴν ἐσήμαινεν ἅπαντα τὸν ἐνιαυτὸν ἐπὶ πλεῖστον δὲ ἐκλείποντι ἐῴκει. alterum ἐσκοτίσθη δὲ ὁ ἥλιος ὥστε ἐπὶ ἡμέρας ιζ, καὶ οὐκ ἔδωκε τὰς ἀκτῖνας αὐτοῦ.

lium fincerissimus appareat non videri tanta levitatis nota afficiendum, præfertim cū id nemo illi fuorum temporum fcriptor objecerit. Quamobrem potius dicendum folem aliquid a caliginofa macularum materia hebetudinis paffum effe; terræ enim atmofphæra cum ftellarum vifum non eripuerit, nihil illi nocere potuiffe. Itaque fic accidiffe, ut fegmenta ipfius lucida, & adverfus vifum detecta tantum tamen non lucerent, ut ftellarum reflexum lumen præfocarent. Id quoque indicat Vir fummus recentioris Philofophiæ parens, & folarium macularum folertiffimus indagator Galilæus (a) fcribens; *le macchie folari fono irregolariffime, e dove più, e dove meno ofcure; & effendo o nel corpo folare, o molto a quello vicine è neceffario, che fieno moli vaftiffime; fono potenti per la loro difforme opacità ad impedire più, e meno l' illuminazione del Sole*. Quod fi hæc Blanchino minime fatisfaciunt, veramque eam fuiffe eclipfim obftinatè tuetur, atque ideo cenfet Confules omnes uno anno effe prævertendos; poffum ego pari ufus ratione anticipare annos duos. Etenim ex eodem Dione (b) ὅτε ἥλιος σύμπας ἐξέλιπε Cajo Claudio Marcello, & L. Cornelio Lentulo Cofs., ut Blanchinus ipfe fatetur (c). At ea eclipfis demonftratur accidiffe anno P.J. 4663., ante CHRISTUM 51. Martii die 7. ergo hoc anno procefferant illi Confules, is vero biennio antecedit annum P.J. 4665. quando vulgo a Chronologis collocantur. En quot fe in laqueos inducit, qui ad eclipfim, vel unum quemcumque characterem animum adiiciens cætera negligit. Blanchinus hic admouet prolepticè rem accipiendam. At cur prolepfi ifta uti ego non poffum, quando Eclipfis narratur a Dione fub Augufti mortem? refponfionem hanc alteram Blanchinus, quæ fua eft repudiare non poteft. Sed nimis diu in Blanchiniano argumento refutando demorati fumus. Rem enim brevi ita conficere poteramus, ut permitteremus; utrum quis mallet Eclipfes alias omnes perversè collocare, ut uni fatisfaciat; an recte eas conftituere una neglecta. Etenim plurimæ funt Eclipfes a Veteribus memoratæ Confulum adjecta nota, in quibus computandis reperitur novum Blanchini fyftema repugnare, vetus, & vulgare confentire. Livius (d) narrat M.Valerio Meffala, & C. Livio Salinatore Cofs. *Luce, inter horam ter-*

(a) In epift. ad Velferum.
(b) Lib 41.
(c) In not. ad S.Silveftri. vit.
(d) Lib. 38. cap. 35.

*tertiam fermè, & quartam tenebras obortas fuisse*; quod sine dubio solarem Eclipsim indicat. Petavius (*a*) invenit solarem Eclipsim, in qua maxima obscuratio accidit inter horam tertiam, & quartam matutinam anno P.J. 4526. quando in vulgaribus fastis Consules locantur Messala, & Salinator, quos Livius commemorat; quare huic Eclipsi consentiunt vulgares fasti, non Blanchiniani. Idem Livius (*b*) per eos dies, quibus est profectus ad Bellum L. Cornelius Scipio Consul, cujus erat Collega C. Lelius Nepos; *cælo sereno*, inquit, *obscurata lux est, cum Luna sub orbem solis subisset*. Hanc quoque Eclipsim reperit Petavius anno P.J. 4524. biennio ante superiorem, quo anno juxta communem rationem Consules statuuntur L. Cornelius Scipio Asiaticus, C. Lelius, juxta vero Blanchinum Consules fuere Nasica, & Glabrio. Ergo huic Eclipsis notationi repugnat Blanchini systema, concordat vulgare. Duæ aliæ solares Eclipses a Livio memorantur lib.30.; prima Cn. Servilio Cæpione, & C. Servilio Gemino; altera anno insequenti Tiberio Claudio Nerone, & M. Servilio Gemino Coss., atque hæ a Petavio inventæ sunt annis P.J. 4511., & 4512., quibus annis hi, quos Livius nominat vulgo Consules statuuntur: est etiam alia Eclipsis ab eo supputata anno P.J. 4497. Cn. Servilio, & C. Flaminio Coss., in quorum Consulatu eam accidisse testatur Livius (*c*), & Orosius (*d*), qui tamen juxta Blanchinum Consules fuerant anno superiore. Omitto lunares Eclipses, cujus unam a C. Sulpicio Gallo Tribuno militum prædictam fuisse, eamque evenisse L. Emilio Paulo, & C. Licinio Coss., quibus Consulibus evenisse reperit etiam Petavius, Livius testatur (*e*), & Valerius Maximus (*f*); alterius meminit Polybius (*g*) Livio Salinatore, & Emilio Paulo Coss. prorsus, ut idem Petavius invenit, has inquam omitto, quod frequentiores sint, & fortasse sit illis locum inventurus in systemate suo Blanchinus. At de solaribus Eclipsibus, quas attulimus, quæ etiam continuis annis acciderunt, habentque notatos diligenter Consules Blanchinus quid dicet? Qua ratione eas aptabit fastis suis? Neque eæ solæ sunt: alias præterea multas commemorat Jacobus Billius (*h*), Ricciolius (*i*), Wistonus. Nunc rursum

(*a*) Lib. 8. D T. cap. 13.
(*b*) Lib. 37. cap. 3.
(*c*) Lib. 22.
(*d*) Lib. 4. cap. 15.
(*e*) Lib. 44.
(*f*) Lib. 8.
(*g*) Lib. 4.
(*h*) In append. ad tabulas Laodicenas.
(*i*) Lib. 3. Almagesti cap. 19.

sum quæro, an præstet eas omnes negligere, ut uni detur a Dione commemoratæ locus? Liviumne, Orosium, Polybium, cæterosque Eclipses illas omnes male notasse dicemus, ut Dionis unius salvam fidem tueamur. Quamquam cum Dionis verba relego, video nemini illum obesse, quid enim narrat Dio? Eclipsim numeratam inter prodigia, quæ Augusti mortem antecesserunt, numquid eodem anno acciderunt omnia? Minime; immo vero diserte admonet ludis Augustalibus, quibus natalis Augusti celebrabatur dementem quemdam hominem in sede Julio Cæsari posita se ipsum locavisse, coronamque ejus arreptam suo capiti imposuisse, idque prodigii loco habitum, atque in hujusce rei confirmationem subdit anno insequente Sext. Apulejo, Sext. Pompejo Coss. Nolæ Augustum obiisse: tum narrare aggreditur prodigia, quæ id ei antea prædixerant,atque in his defectum solis. Quid quæso cogit hæc in eumdem annum conferre Augusti mortis,cum constet ex his unum accidisse anno superiori? Quamobrem primum Blanchini argumentum, quod primo alicujus ponderis arbitrabar, nunc denique video esse infirmum.

Sed videndum est aliud de Luna quam III. Nonas Martii hora sexta nocturna in Oriente apparuisse, ait, ex Hirtio. Vellem tamen Blanchinus Hirtii probatissimas editiones, & MS. Codices consuluisset, atque ubi hæc de hora sexta nocturna, lunaque visa in Oriente reperit, nobis indicasset. Consului ego quinque emendatissimas editiones, quibus M. Antonius Muretus utebatur, servanturque in Bibliotheca Collegii Romani S. I., & vidi utrumque desiderari in omnibus: desideratur etiam in Veneta Aldi Senioris, in Amstelodamensi ex recensione Arnoldi Montani cum selectis variorum commentariis; in Parisiensi emendatissima anni 1543., in Francofurtiensi ex recensione Gothofredi Jungermanni; in alia Francofurtiensi ex recensione Jacobi Strada. Denique in omnibus, quas videre potui editionibus (MS. enim Codices ad manus non erant)numero septendecim ita habetur:*eo die Pompejus castra movit, & circa Hispalim in Oliveto constitit. Cæsar priusquam eodem est profectus Luna hora circiter sexta visa est*. Solum in Veneta Nicolai Jensonis anni 1471. legitur *contra Hispalim*; quod etiam reperiri in libro suo testatur Fulvius Ursinus; sed nihil hæc varietas ad rem facit. Baldellus etiam locum illum

ita

ita vertit; *ora avanti che Cesare si fosse quivi condotto si era veduta la Luna intorno a ore sei*. Jam vero hora illa sexta permittit, ut vel de nocturna intelligatur, vel de diurna. Joannes Goduinus, qui ad usum Delphini Cæsarem, & Hirtium illustravit, cum legisset idem, quod cæteri, subjecit hanc notulam; *hora meridiana, quod prodigii loco fuit*. Ita pariter Joannes Glandorpius ad hunc locum scribit: *significat habitum prodigii loco Lunam meridiano tempore conspectam*, deinde aliam addit explicationem; quasi Luna hora noctis sexta visa sit obscurari, & deficere, fueritque *unum*, inquit, *ex iis prodigiis, cujusmodi pleraque commemorat Dion, quibus imminens calamitas Pompeii prænuntiata est*. Quamobrem etsi de hora nocturna intelligatur longè abeunt Interpretes a Blanchini sensu, neque unum aliquem reperire potui, qui eodem modo, ac ille Hirtium explicaret; quid ergo est? Promat sane Blanchinus epilogismos suos, Hirianis in tabulis se exerceat: nihil omnino conficiet: nisi ostenderit, horam noctis sextam designare Hirtium, & simul indicare Lunam in Orizonte fuisse. Præterea his etiam demonstratis, adhuc haberemus, quos opponere Hirtio, pluries alios possemus, Dionem, Censorinum, qui anni correctionis initium idem esse affirmant, ac Consulatum Cæsaris IV.; *ex hoc anno ita a Julio Cæsare ordinato*, inquit Censorinus (a), *cæteri ad nostram memoriam Juliani appellantur, iique consurgunt ex IV. Cæsaris Consulatu*. Quid porro est ex IV. Cæsaris Consulatu consurgere, nisi idem esse initium utriusque?

Addebat Blanchinus ex Malala eo anno, quo Cajus est occisus hos fuisse Consules, qui in fastis non reperiuntur, itaque ex illis expunctum esse par Consulum. Primum doleo eruditissimum virum ad novam opinionem stabiliendam, quæ Panvinio, Pighio, Sigonio, Petavio, Pagio, Norisio, Almelovenio, & quotquot Consulum seriem nobis obtulerunt est prorsus incognita; immo omnium Eruditorum contraria consensui; quæ denique res omnes hactenus notatione Consulum tempori suo consignatas de antiqua sede dimovet, atque convellit adeo malo usum duce, qualis est Malala. Nam etsi eum summis effert laudibus, atque antiquum facit Sæculi VI. Scriptorem, tamen nequaquam ante Sæculum IX. vixisse bene probat

(a) De die Nat. cap. 20.

bat Humfredus Hodius (a), qui etiam ostendit innumeris, crassioribusque scatere erroribus: quorum multos Blanchinus depræhendere potuit, vel in eo ipso, quem produxit loco. Etenim mox subdit Claudium regnasse annos 14., & menses 9., cum ex Svetonio objerit anno Imperii 13. Addit etiam Cajum annum egisse ætatis 39., & tamen solum 29. annos vixit. Quid cum superius CHRISTI mortem consignat VIII. Kal. April., atque eum diem interpretatur 24. Martii? Quid cum nominat Britanniam Urbem Geographis omnibus incognitam? Hujusmodi Auctori, vel depravato adeo hujus Auctoris textui tantopere ille fidere non debuit. Præterea cum Caii mors acciderit IX. Kal. Febr., idest ferè sub anni initium ex Svetonio, credibile non est, ut bene arguit Stan pa (b) processisse annum fermè integrum Consulibus vacuum. Tandem Dio Pomponium Consulem discubuisse in convivio cum Cajo narrat eodem die, quo Cajus est occisus; quod ita explicant Pighius, & Almelovenius, ut velint Cajo suffectum; cum ille Consulatum abdicasset VII. Id. Januarii. Profecto Josephus (c) Sentium Saturninum, & Pomponium Secundum fuisse hoc anno Consules disertè significat. Quamobrem non video, quæ dicere possit Blanchinus hujus anni Consules desiderari, nomenque intercidisse, atque ab iis fuisse diversos, qui in vulgaribus fastis collocantur. At quid faciemus Ti. Catio, & P. Cæler. Consulibus Kalendis Januarii? Dummodo hic seriem Consulum omnium consensu firmatam non turbent ubilibet statuantur. Quis tamen Blanchino significavit Consules illos ordinarios fuisse non suffectos? Num quia Consules leguntur Kalendis Januarii? Novum non est his ipsis Kalendis Consulatu abiisse aliquos, aliosque suffectos. In fragmento apud Gruterum legitur:

(d) IMP. CAESAR. Π. VOLCATIVS
K. IAN. P. ANTONIVS

idem ex Schedis Farnesianis Muratorius exhibet sic (e)

IMP. CAESAR. Π. L. VOLCATIVS
K. IANVAR. P. AVTRONIVS

H Mura-

(a) In prolegomenis ad Malalæ historiam editam Oxonii a. 1691., & Venetiis 1733.

(b) In continuatione fast. Sigonii pag. 633.

(c) Lib. 2. de bell. cap. 10. Γαΐου δὲ ἡγεμονεύσαντος ἔτη τρία καὶ μῆνας ὀκτώ, καὶ δολοφονηθέντος, ἁρπάζεται μὲν τὸ τῶν ἐν ῥώμῃ στρατευμάτων εἰς τὴν ἀρχὴν Κλαύδιος. ἡ δὲ σύγκλητος, ἐξηγουμένων τῶν ὑπάτων Σεντίου Σατορνίνου, καὶ Πομπωνίου Σεκούνδου τρισί. Κλαυδίῳ πολεμεῖν ἐψηφίζετο.

(d) pag. 299.

(e) Tom. 1. Thes. Inscr. pag. 294.

Muratorio consentit Capuanę tabulę exemplum apud Pighium (*a*). De eo Augusti Consulatu Svetonius (*b*), ait, secundum fuisse, eumque gessisse *paucissimis horis*. *Nam*, inquit, *die Kalendarum Januarii cum mane pro ęde Capitolini Jovis paullulum curuli sella præsedisset honore abiit, suffecto alio in locum suum.* Hoc etiam anno superiore V. C. 719. Antonius fecerat. Quamobrem Dio Cęsarem Antonii exemplum secutum esse scribit (*b*). Cur ergo suffectos in tessera esse descriptos arbitrari non possumus; præsertim cum Dio idem testetur (*c*) quando breviores erant hujusmodi Consulatus, ut ille Antonii, suffectos reperiri in fastis aliquibus, ordinariis omissis? Illud quoque vellem, ut plane constaret de tesseræ lectione, ne errore Typographi factum sit in Fabretto (unde se mutuatum esse fatetur Blanchinus,) ut pro K. JUN., ut in superiori alia legitur, legatur K. JAN., quid si tesseræ descriptor erravit in affini litera? Quid si erravit imperitus artifex literæ unius permutatione, quam permutationem frequentem esse in lapidibus omnes antiquitatis studiosi norunt; atque A. reperiri positam aliquando pro V. testatur in Gruteriano Indice Josephus Schaliger, & liquet ex inscriptione, quæ in Musæo Collegii Romani asservatur (*d*) ubi legitur:

A A L E N T I N I A

Denique quidvis potius, quam in tanta re tam leve fundamentum adhibeatur. Quod si perget Blanchinus, aut Malalæ auctoritatem, aut tesseram hanc nobis opponere; opponam ego vetera monumenta, opponam clarissimos Historicos, opponam Antiquitatem omnem, quæ Blanchinianis rationibus adversatur. Svetonius hæc de Vespasiano habet; natum eum Poppeo Sabino, & Q. Sulpicio Camerino Coss., mortuum Consulatu suo IX., cum annum ageret ætatis 69., superque mensem, ac diem septimum; Dio vero (*e*) vixisse, ait, annos 69., menses 8. Consulatus Vespasiani IX. a Blanchino, cæterisque statuitur anno æræ vulgaris 79.; sed Camerini, & Sabini Consulatus, qui ab aliis collocatur anno 9., a Blanchino consignatur

(a) Tom. 3. Annal. pag. 494.
(b) Lib. 49.
(c) ibid. Ἀντώνιος δ' ἐν αὐτῷ τὴν μὲν ἀρχὴν αὐθημερὸν ἐξέλιπε, Λούκιον Σεμπρώνιον Ἀτρατῖνον ἀντικαταστήσας. ὅθεν οἱ ὤσιν αὐτὸν ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνον ἐν τῷ τῆς ὑπάτων ἀναγραφῇ ὀνομάζουσι.
(d) Num. 361.
(e) Lib. 66.

tur anno 8.:ergo 70.annos,& amplius vixit Vespasianus non 69. Ergo adversarios habet Blanchinus, Svetonium, & Dionem. Proditum memoriæ est Hierosolymæ Templum a Pompejo captum Cicerone, & Antonio Coss. Hos Consules habet etiam Josephus (*a*), & præterea Olympiadem 179., innuitque esse hujus Olympiadis annum primum; quod etiam ex Eusebio (*b*) ostendit Usserius. Quare Ciceronis, & Antonii Consulatus cadit in Olympiadis 179. annum primum. Atque hoc cum fastis nostris bene concordat, non convenit cum Blanchinianis: ergo Blanchini rationes conturbant Eusebius, & Josephus. Constat etiam Cajum triennio, atque aliquot præterea mensibus imperasse; *vixit*, inquit Svetonius, *annis 29., imperavit triennio, & decem mensibus, diebusque octo*. Idem habet, Clemens Alexandrinus (*c*): Dio (*d*), & Zonaras annos illi tribuunt 3., menses 9., dies 28.: Josephus quarto anno defuisse quatuor menses scribit (*e*): Auctor Dialogi de Oratoribus, qui Taciti nomine circumfertur imperasse tradit propè quadriennium. Juxta Blanchinum Tiberio mortuo XVII. Kal. April. anni 36. successit Cajus, qui obiit, ut idem ipse vult, anno 41. mense Januario: ergo juxta Blanchinum imperavit annos 4., menses 10. Ergo Blanchinus contradicit Svetonio, Clementi Alexandrino, Dioni, Josepho, Zonaræ, Tacito. Infinitus sim si alia proferam hujusmodi, quæ in antiquorum monumentis occurrunt: verum quæ huc usque diximus satis, superque videntur ad novum Blanchini systema evertendum, probandumque Consulatum Geminorum incurrere in æræ vulgaris annum 29.: hunc ergo annum hic character, & Consulatus nota, quam plurimi Antiquissimi Scriptores adhibent, præsefert, atque in tanta veterum de hoc charactere consensione festinat animus, quid ex aliis characteribus eliiciatur cognoscere.

## §.VII.
## *De anno Tiberii.*

CElebertimus est ex characteribus initio enumeratis annus Imperii Tiberii, in quo Scriptores antiqui asserunt CHRISTUM

H 2

(*a*) Lib.14. Antiqu. cap.8.
(*b*) Lib.8. Demonstr.
(*c*) Lib. 1. Stromat.
(*d*) Lib.59.
(*e*) Lib.2. de bello cap.18. Γαΐε δὲ ἡγεμονεύσαντος ἔτη τρία καὶ μῆνας ὀκτὼ, καὶ δολοφονηθέντος.

STUM mortuum; neque hi in eo assignando multum discrepant, sed partiri omnes possumus in classes duas: alii enim volunt CHRISTUM passum anno Tiberii 15., alii 18. Pro 18. allegari solet Sulpicius Severus *(a)*; sed incertum est utrum Herodem, an Tiberium appellet, & cum ut supra vidimus apertè duos Geminos habeat Consules potius 15. designare patet. Id tamen affirmat Eusebius in Chronico; JESUS CHRISTUS *Filius* DEI, inquit Hieronymo interprete, *secundum prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ ad passionem venit anno Tiberii* 18. Hanc lectionem tuetur Pontacus in notis, & Goarius ad Syncellum *(b)*. Eusebium, ut initio dissertationis hujus diximus, secuti sunt Chronicorum Auctores, Scriptoresque alii medii ævi. Ex paulo antiquioribus recensere possumus Isidorum *(c)*; Græcos vero sequioris ævi Malalam *(d)*, Zonaram *(e)*, S. Nicephorum *(f)*. Neque ab his puto dissentire, qui proferunt Tiberii annum 19. Cedrenum *(g)*, Syncellum *(h)*, Auctorem Miscellæ. Etenim Chronicon Alexandrinum testatur; ideo 19. annum Tiberii nominare, quod hujus initium sumat a 21. Martii. Atque ob hanc caussam revocari fortasse possunt ad annum Tiberii 15., qui 16. numerant apud Clementem Alexandrinum *(i)*, & Auctorem Paschalis computi, quem Fellus edidit *(k)*. Ceterum 15. disertè habent antiquiores Patres Clemens Alexandrinus scribens in Stromatis *(l)* quintodecimo Tiberii, & quintodecimo Augusti annos impleri vitæ CHRISTI. Tertullianus *(m)*; *hujus* (Tiberii) 15. *anno Imperii passus est* CHRISTUS: Africanus apud Hieronymum *(n)*; *a fine Regni Macedonum usque ad* 15. *annum Tiberii Cæsaris, quando* CHRISTUS *passus est numerantur anni* 60. Origenes *(o)* computans annos a passione Domini ad Hierosolymæ excidium eos orditur ab

(a) Lib. 2. cap. 27. *Herodes post Nativitatem Domini regnavit annos 4. nam omne Imperii ejus tempus 7., & 30. anni fuerunt, post quem Archelaus Tetrarcha annis 9. Herodes annos 20., & 4. Hoc regnante anno Regni octavo, & decimo Dominus crucifixus est.*

(b) ad pag. 304. Syncelli.

(c) In Chronico ad 6. ætat. Aliud extat Chronicon, quod Isidoro etiam tribuitur in aliquibus editionibus; sed est Lucæ Tudensis: In eo idem de anno 18. Tiberii habetur, legitur Tom. 4. Hispaniæ illustratæ ex recens. Andreæ Schotti.

(d) pag. 309. edit. Oxoniensis.

(e) pag. 532. edit. Paris. ex recens. Ducangii.

(f) In Chronographiæ compend. pag. 400.

(g) pag. 188. ex recens. Fabrotti edit. Paris.

(h) pag. 320.

(i) pag. 221. ἀφ᾽ ἧς Τιβερίου Καίσαρος Μοναρχίας ἀρχὴν εἰληφὼς ἀπὸ κα' τῶ Ῥωμαίων Μαρτίου μηνός.

(k) Unus Orosius longè abit a reliquis, nisi mendum sit Typographi, & Christi mortem collocat anno Tiberii 17.

(l) lib. 1 Strom.

(m) cap. 8. contra Judæos.

(n) in Daniel.

(o) Hom. 14. in Jerem. pag. 218. tom. 3. novæ edit.

ab anno Tiberii 15. : indidem Cyclum ſuum auſpicatur S.Hippolythus. Lactantius (*a*) de Herode loquens; *fuit*, inquit, *ſub Imperio Tiberii Cæſaris, cujus anno quintodecimo ideſt duobus Geminis Coſs.... Judæi* CHRISTUM *cruci affixerunt*. In Indiculo Paſchali (*b*); *Proſperius Presbyter uſque ad annum XV. Tiberii Cæſaris, ideſt duobus Geminis, quo Dominus Noſter* JESUS CHRISTUS *paſſus eſt &c.* Evangelium apocryphum, ſed antiquiſſimum, quo Gnoſtici utebantur ita invenitur inſcriptum apud Irenæum: *commentarius eorum, quæ facta ſunt in D. N. J. C. ſub Pontio Pilato ... anno 15. Imperii Tiberii Cæſaris ... ſub Conſulatu Rufi, & Rubellionis*: Idacius (*c*): *ipſe Filius* DEI *ſecundum Prophetas, qui de eo fuerant prælocuti ad paſſionem venit anno Tiberii 15.* Denique Proſper in Chronici Auctario ſupralaudato: *uſitatior traditio habet Dominum Noſtrum 15. anno Tiberii Cæſaris duobus Geminis Coſs. crucifixum*. Quapropter ſi ex communiori traditione, & ex Antiquorum Patrum pleriſque hunc characterem, ut par eſt elicimus annum Tiberii 15. exhibet.

At mihi mirum profecto accidit, pleroſque vetuſtiſſimos, Doctiſſimoſque PP. eum Tiberii annum aſſignare Dominicæ paſſioni, qui Lucæ auctoritati adverſari omnino videtur. Etenim ille (*d*) anno Tiberii 15. initium notat Joannis prædicationis, quæ prædicationem CHRISTI, adeoque annis pluribus mortem anteceſſit. Lucæne verba ignorabant? Non Evangelium legerant? Immo vero eorum aliqui, ut Clemens Alexandrinus ibidem illa ipſa recitant. Dicet fortaſſe aliquis hoc ex eo factum, quod altè animo demiſerant CHRISTUM paſſum Geminis Coſs. Etenim eorum multi Tertullianus, Lactantius, Proſper, utrumque characterem conjungunt; norant autem Conſulatum Geminorum incidere in 15. Tiberii. Sed hoc me percellit magis; ita eam opinionem de Geminorum Conſulatu inſediſſe eorum animis, ut aliquid defendere auderent, quod ſaltem in ſpeciem adverſari Lucæ rationibus videretur. Attamen id illi, rem veluti certam, teſtatamque ponentes in eo vehementer laborabant, ut viam aliquam nanſciſcerentur, qua utrumque ſimul conciliarent. Itaque illuc deſcenderunt, ut dicerent CHRISTUM prædicaſſe dumtaxat annum unum; quamobrem potuiſſe ad Baptiſmum venire anno Tiberii 15., atque eodem

(*a*) lib. 4. cap. 10.
(*b*) Edito prim. tom. Baron. edit. Lucenſ. pag. 19. ex Codice antiquiſſimo Vaticano literis quadratis exarato.
(*c*) Ex recenſ. Andreæ Schotti Tom. 4. Hiſpan. illuſtrat.
(*d*) cap. 3.

eodem 15. mortem subire; in cujus rei testimonium Isaiæ locum quendam allegabant *(a)*. Hoc Clemens Alexandrinus *(b)* facit, Tertullianus, Africanus, Gaudentius Brixianus, denique ut cum Petavio loquar *(c)*, *neque paucorum*, *neque plebejorum Scriptorum fuit hac sententia. sed doctrina*, *& auctoritate præstantium*, *& sanè vetustissimorum*. Quod cum unicuique (modo sit in Evangeliorum lectione aliquantulum versatus) absurdum appareat; fuerunt, qui PP. opinionem de anno uno prædicationis, proferre consueverunt, ut se ab eorumdem auctoritate expediant, cùm pro Geminorum Consulatu, vel anno Tiberii 15. acervatim producuntur. Sed distinguendum est, quod PP. ipsi ratiocinando colligunt; & quod uti certum aliunde, de quo ipsis constet, tamquam axioma quoddam ponunt. Primum, si ratiocinatio fallere deprehendatur, merito repudiabitur; sed illo repudiato non proinde nutabit alterum; immo vero, cum id assumpserint, adhibuerintque ad aliud investigandum; ac de eo omnes nulla allata probatione consenserint, certo ipsis fuisse exploratum, ut nullam omnino dubitationem admitteret, judicari potest. Jam vero hoc de anno uno prædicationis ipsi ratiocinationibus suis se colligere eorum textibus patet; aliud de Consulatu Geminorum, de anno 15. Tiberii nusquam reperitur ab ipsis probatum, sed veluti certo positum; quare merito hoc persuasum ipsis fuisse ex publicis monumentis, quæ tunc exstitrent, arbitramur. Potest igitur hoc retineri alio repudiato; neque ad hujus auctoritatem elevandam afferri aliud, & produci debet; quin etiam ex eo ipso confirmatur hujus auctoritas, non enim PP. in eo retinendo tantopere laborassent, neque ad eas angustias se redigi passi essent, nisi certum id illis, exploratumque fuisset. Quamobrem revocentur huc canones, quos initio disputationis statuimus; atque ille præ-scr-

(a) cap. 61. 2. *ad prædicandum annum placabilem Dño.*

(b) Clemens Alex. l. Strom. ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῷ κατὰ Λουκᾶν γέγραπται οὕτως. ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος ἐγένετο ῥῆμα κυρίου ἐπὶ Ἰωάννην τὸν Ζαχαρίου υἱόν. καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ. ἦν δὲ Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν λ. καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρῦξαι, καὶ τοῦτο γέγραπται οὕτως. ἐνιαυτὸν δεκτὸν κυρίου κηρύξαι ἀπέστειλέ με. τοῦτο καὶ ὁ προφήτης εἶπεν, καὶ τὸ εὐαγγέλιον. πεντεκαιδεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου, καὶ πεντεκαιδεκάτῳ Αὐγούστου οὕτω πληροῦνται τὰ τριάκοντα ἔτη ἕως οὗ ἔπαθεν.

(c) lib. 12. D. T. cap. 17.

ſertim; *hanſiſſe I P. ex publicis monumentis, quod adverſari in ſpeciem ſcripturæ videtur, neque ab ipſis negatur; ſed pugnatur vehementer, ut ſalva ſit ſcripturæ fides*. Fuit ergo hic character ab illis Patribus præcipuè colligendus, qui illum tanta conſtantia proferunt. Ne vero Evangelii auctoritate infirmetur; idem quod PP. illi tentarunt, curandum eſt, ut oſtendamus, qua ratione optime, concilientur hæc duo; & Geminis Coſs., atque anno Tiberii 15. CHRISTUM eſſe mortuum, & initium prædicationis Joannis, ut a Luca factum eſt, anno Tiberii 15. collocari potuiſſe. Præſtitum eſt id jamdiu a viris doctis; nos, quæ illi uberius explicarunt ſummatim attingemus; quæ ſummorum hominum aciem fugerunt, aut ad eorum dicta intelligenda utile erit, nec tamen ab aliis animadverſum, exequemur; atque id agentes illud tandem obtinebimus: ut quoniam omnes ferè, ut diximus nominis alicujus Auctores in duas ſententias abierunt de anno Tiberii, vel 15., vel 18., illos inter ſe fortaſſe conciliare poſſimus.

Joannes Georgius Hervvartus primus obſervavit Tiberiani Imperii epocham ante Auguſti mortem poſſe conſtitui, cum ab Auguſto vivo in Imperii conſortium ſit adſcitus. Probat hoc Svetonii teſtimonio (*a*), & Velleii Paterculi (*b*), qui id diſertè aſſerunt; quibus adiungi poteſt Tacitus (*c*); *Nero ſolus e privignis erat, illuc cuncta vergere; filius, collega Imperii, Conſul, Tribunitiæ poteſtatis aſſumitur, omneſque per Exercitus oſtentatur*. Hanc Imperii Tiberii epocham ad conciliandum Lucæ teſtimonium, & Patrum auctoritatem ab Hervvarto obſervatam avidè arripuit M. Antonius Cappellus, & poſt Cappellum Iſaacus Voſſius (*d*), Henſchenius (*e*), Scelſtratus (*f*), Honoratus (*g*), Blanchinus (*h*), Pezron (*i*), Joannes Clericus (*k*), & præ cæteris Pagius (*l*). Illam vero impugnavit Petavius (*m*), Natalis Alexander (*n*), Tillemontius (*o*); & omnium accerrimè ex Orthodoxis Bernardus Lamy (*p*); ex Eterodoxis Samuel Baſna-

(*a*) in Tib cap. 13. *proximo anno repetita eſt Tiberio Germania; biſque a Germania in Urbem poſt biennium regreſſus triumphum Illyricum, quem distulerat egit: at non multo poſt lege per Coſ. lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret*.

(*b*) lib. 2. cap. 121. *cum S. P. Q. R. poſtulante patre eius, ut æquum ei jus in omnibus Provinciis, Exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſſet*.

(*c*) 1. Ann.

(*d*) Chron. Sacr. cap. 7.

(*e*) In Propyl. exercit. 2.

(*f*) Antiqu. Eccl. diſſer. 1. cap. 4.

(*g*) Lib. 5. Animad. diſſ. 1. art. 9.

(*h*) Opuſc. 4., & in Chronol. T. 2. An.

(*i*) Hiſt. Evang. Tom. 1. pag. 272.

(*k*) Hiſt. Eccl. T. 1. ad a. æræ vulg. 11.

(*l*) Ad an. 13., & 31. Baron.

(*m*) Lib. 11 D. T cap. 7.

(*n*) Sæc. I. diſſ. 2. quo 2.

(*o*) Not. 4. in Tiberii vit.

(*p*) In Appar. part. 2. cap. 1. §. 4.

ſnagius (*a*). Thomas vero Monelia (*b*): *nihil attinet*, inquit, *perſequi Imperii Pro-Conſularis epocham, ut recentiores ſectatores nacta ſit .. dicam, quod ſentio pace doctiſſimorum virorum, quos cæteroqui colimus maximopere, lepidum eſt commentum*: deinde addit: *rem eſſe infinitis patentem difficultatibus, incertam, immo confictam, & a veritate alienam; ejus vindices cribro aquam haurire; qui eam convellat jam actum agere, & crambem repetitam moleſte obtrudere; Pagium diu ſaxum hoc volvere, neque proficere bilum; fruſtra eamdem ſæpe incudem tundere, & corda ſemper aberrare eadem &c.* Vellem tamen actum egiſſet, iiſque reſpondiſſet ſaltem, quæ Collega ſuus Ignatius Graveſonus ad hanc Epocham ſtabiliendam attulit. Mihi quidem ſupervacaneum videtur hic repetere omnia, quæ viri clariſſimi congeſſerunt, præcipue Pezronius, Honoratus, Pagius: nec tamen ea omnino prætereo; ſed inſtitutum ſequar, ut illa tantum adnotem, quæ vel eos fugerunt, vel ad ea, quæ protulerunt illuſtranda potiſſimum inſervire poſſunt.

Et primo duas hic controverſias diſtinguamus oportet; primam, utrum vivo Auguſto Tiberius poteſtatem, auctoritatemque ipſi æqualem obtinuerit; alteram, an ſit omnino veriſimile S. Lucam ab anno, quo hujuſmodi auctoritatem Tiberius obtinuit, ejus Imperii annos numeraſſe. Primum Taciti locus probat, & veterum teſtimonia ab Hervvarto allata, qui illis, quæ ſuperius recitavimus addit Dionem narrantem Auguſtum ob ingraveſcentem ætatem Germanicum Senatui, Senatum Tiberio commendaſſe, & Auctorem paneggirici Maximiano, & Conſtantino dicti, qui id veluti *rem ſuo tempore notam omnibus*, ut Pagius etiam loquitur, *ſupponit*. At enim Proconſulare Imperium ſummum non fuit; & Tribunitia poteſtas collata eſt aliquando citra ullum Imperium? Pagius Petavio id obiicienti reſpondet, minime illum animadvertiſſe; eos Imperii Collegas dictos fuiſſe, non qui Tribunitia tantum poteſtate, aut qui dignitate tantum Proconſulari; ſed qui utroquè titulo decorati eſſent: quare exempla, quæ in medium Petavius adducit ad rem non facere. Mihi vero, & Petavius, & Tillemontius, & cæteri, qui illud argumentum uſurpant æquivocatione decepti videntur; & cum res ſint, quam vocabula in qualibet lingua ampliori numero, feciſſe hic, quod ſæpe alii alias,

(*a*) In Annal. Politico Eccl. ad a. 1. n. 3.

(*b*) Diſſert. 1. de annis Chriſti cap. 3. n. 40.

alias; ut rem unam pro altera, a nomine in fraudem inducti commutarent: illud etiam, ad normam temporis unius, quo aliquid aliquando accidit, malè cæterarum ætatum mores, consuetudinesque exegisse. Romana vero Resp., si ullà unquam, plurimis commutationibus, vicissitudinibusque rerum fuit obnoxia, retentis nonnumquam iisdem commutatarum rerum appellationibus. Itaque viros doctos varias Imperii Proconsularis notiones esse, & Tribunitiæ potestatis, fugit. Ezechiel Spanhemius magni vir nominis, & multæ eruditionis (a) adnotavit triplicem vocis *Proconsulatus* significationem, atque eam conqueritur non satis expendisse viros doctos; deinde triplicem veluti Proconsulatum sic distinguit: *primus*, inquit, *qui Imperium in toto Orbe Romano, dictisque proinde tam Augusti, quam Populi Provinciis, ac in perpetuum quidem conferebat, ac pars erat Principatus ... alter qualis Germanico sub Tiberio, & Corbuloni sub Nerone in magna terrarum Romani Orbis parte, & ad certum quidem tempus est concessum: tertii vero generis Proconsulatus eos respicit, qui post institutam ab Augusto Provinciarum Populi, & Augusti divisionem ad Provincias regendas a Senatu sub Proconsulum nomine, iique vulgo annui mittebantur*. Hæc ille, qui etiam addit primum genus Imperatoribus datum, atque Imperii Collegis; subinde etiam secundi fastigii Cæsaribus. Hoc ergo genus Proconsularis Imperii concessum ab Augusto est Tiberio, tamquam Collegæ; adeoque ab illo Germanici Drusi filii, quod Petavius obiicit, longe diversum. Idem valet de titulo altero Tribunitiæ Potestatis. Idem Spanhemius (b) ubi contentionem retulit inter Norisium, & Pagium; quorum alter nihil hunc importare volebat, nisi potestatem intercedendi, & Senatum convocandi, atque edicta condendi, qualem in Rep. Tribuni Plebis habuissent; alter tamen constituebat, ut pars esset Summi Imperii, ac Supremi fastigii; Pagii sententiam sibi potiorem videri, ait: atque inter Tribunitiam utramque potestatem multiplex sane discrimen animadverit. Itaque Tiberio hæc demandata Tribunitia potestas ex ea, quam Agrippa habuit, ut aliqui faciunt, æstimanda non est.

Aliud præterea est, quod Petavius objecit, quodque ex illo sumpsere cæteri: Spartiani locus, ubi de M. Aurelio, & L.

I Vero

(a) Dissert. 12. de Præst. num. §. 9. num. 5. (b) §. 5. num. 5.

snagius (*a*). Thomas vero Monelia (*b*): *nihil attinet*, inquit, *persequi Imperii Pro-Consularis epocham, ut recentiores sectatores nacta sit .. dicam, quod sentio pace doctissimorum virorum, quos caeteroqui colimus maximopere, lepidum est commentum*: deinde addit: *rem esse infinitis patentem difficultatibus, incertam, immo confictam, & a veritate alienam; ejus vindices cribro aquam haurire; qui eam convellat jam actum agere, & crambem repetitam moleste obtrudere; Pagium diu saxum hoc voluere, neque proficere hilum; frustra eamdem saepe incudem tundere, & corda semper aberrare eadem &c.* Vellem tamen actum egisset, iisque respondisset saltem, quae Collega suus Ignatius Gravesonus ad hanc Epocham stabiliendam attulit. Mihi quidem supervacaneum videtur hic repetere omnia, quae viri clarissimi congesserunt, praecipue Pezronius, Honoratus, Pagius: nec tamen ea omnino praetereo; sed institutum sequar, ut illa tantum adnotem, quae vel eos fugerunt, vel ad ea, quae protulerunt illustranda potissimum inservire possunt.

Et primo duas hic controversias distinguamus oportet; primam, utrum vivo Augusto Tiberius potestatem, auctoritatemque ipsi aequalem obtinuerit; alteram, an sit omnino verisimile S. Lucam ab anno, quo hujusmodi auctoritatem Tiberius obtinuit, ejus Imperii annos numerasse. Primum Taciti locus probat, & veterum testimonia ab Hervvarto allata, qui illis, quae superius recitavimus addit Dionem narrantem Augustum ob ingravescentem aetatem Germanicum Senatui, Senatum Tiberio commendasse, & Auctorem paneggirici Maximiano, & Constantino dicti, qui id veluti *rem suo tempore notam omnibus*, ut Pagius etiam loquitur, *supponit*. At enim Proconsulare Imperium summum non fuit; & Tribunitia potestas collata est aliquando citra ullum Imperium? Pagius Petavio id obiicienti respondet, minime illum animadvertisse; eos Imperii Collegas dictos fuisse, non qui Tribunitia tantum potestate, aut qui dignitate tantum Proconsulari; sed qui utroquè titulo decorati essent: quare exempla, quae in medium Petavius adducit ad rem non facere. Mihi vero, & Petavius, & Tillemontius, & caeteri, qui illud argumentum usurpant aequivocatione decepti videntur; & cum res sint, quam vocabula in qualibet lingua ampliori numero, fecisse hic, quod saepe alii alias,

(*a*) In Annal. Politico Eccl. ad a. 1 n. 3.

(*b*) Dissert. 1. de annis Christi cap 5. n. 40.

alias; ut rem unam pro altera, a nomine in fraudem inducti commutarent: illud etiam, ad normam temporis unius, quo aliquid aliquando accidit, malè cæterarum ætatum mores, consuetudinesque exegisse. Romana vero Resp., si ullà unquam, plurimis commutationibus, vicissitudinibusque rerum fuit obnoxia, retentis nonnumquam iisdem commutatarum rerum appellationibus. Itaque viros doctos varias Imperii Proconsularis notiones esse, & Tribunitiæ potestatis, fugit. Ezechiel Spanhemius magni vir nominis, & multæ eruditionis (a) adnotavit triplicem vocis *Proconsulatus* significationem, atque eam conqueritur non satis expendisse viros doctos; deinde triplicem veluti Proconsulatum sic distinguit: *primus*, inquit, *qui Imperium in toto Orbe Romano, dictisque proinde tam Augusti, quam Populi Provinciis, ac in perpetuum quidem conferebat, ac pars erat Principatus ... alter qualis Germanico sub Tiberio, & Corbuloni sub Nerone in magna terrarum Romani Orbis parte, & ad certum quidem tempus est concessum: tertii vero generis Proconsulatus eos respicit, qui post institutam ab Augusto Provinciarum Populi, & Augusti divisionem ad Provincias regendas a Senatu sub Proconsulum nomine, iique vulgo annui mittebantur.* Hæc ille, qui etiam addit primum genus Imperatoribus datum, atque Imperii Collegis; subinde etiam secundi fastigii Cæsaribus. Hoc ergo genus Proconsularis Imperii concessum ab Augusto est Tiberio, tamquam Collegæ; adeoque ab illo Germanici Drusi filii, quod Petavius obiicit, longe diversum. Idem valet de titulo altero Tribunitiæ Potestatis. Idem Spanhemius (b) ubi contentionem retulit inter Norisium, & Pagium; quorum alter nihil hunc importare volebat, nisi potestatem intercedendi, & Senatum convocandi, atque edicta condendi, qualem in Rep. Tribuni Plebis habuissent; alter tamen constituebat, ut pars esset Summi Imperii, ac Supremi fastigii; Pagii sententiam sibi potiorem videri, ait; atque inter Tribunitiam utramque potestatem multiplex sane discrimen animadverit. Itaque Tiberio hæc demandata Tribunitia potestas ex ea, quam Agrippa habuit, ut aliqui faciunt, æstimanda non est.

Aliud præterea est, quod Petavius objecit, quodque ex illo sumpsere cæteri: Spartiani locus, ubi de M. Aurelio, & L.

I Vero

(a) Differt. 12. de Præst. num. §. 9. num. 5. (b) §. 3. num. 3.

Vero loquens, ait, *(a)*; *hi sunt, qui postea duo pariter Augusti primi remp. gubernaverunt*; quod & idem Spartianus postea repetit, & iisdem fere verbis Capitolinus habet in Vita Marci, & Herodianus. Respondet Pagius, conceditque Tiberium Augusteam dignitatem vivo Augusto adeptum non esse; fuisse quidem Imperii Collegam, sed non Augustum: etenim nullam in Urbe potestatem, aut Imperium habuisse; sed tantum Tribunitiam potestatem, & Proconsulare Imperium, ratione cujus idem, quod Augustus in Provinciis, & Exercitibus posset. Hanc Pagii responsionem adhibuit quoque Honoratus, adhibuere cæteri; quam quidem, ut verum fatear, probare omnino non possum. Etenim Dio *Augusti* hoc nomen potentiæ quicquam, aut auctoritatis importasse negat *(b)*, sed tantum splendorem quendam. Nam cum S. P. Q. R. statuissent Octavium singulari quodam, eximioque nomine insignire, atque alii alia referrent, ac probarent, placuit Munatii Planci sententia *Augustum* quasi humano majus quiddam appellari: Augusta enim dicuntur ea, quæ honore dignissima, ac sanctissima sunt; ideoque Græci σεβαστὸν Augustum interpretati sunt ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι. Hæc omnia Dio *(c)*. Eo vero nomine aliqui postea Imperatores abstinuere. Vitellium cognomen hoc distulisse liquet ex Svetonio; Caligula vero, teste eodem Dione, cum Populus ei in theatro acclamasset *Juvenis Auguste* ratus sibi contumeliam illatam multos occidit. Quamobrem a Tiberio multo minus est requirendum, qui alter cum esset ab Octaviano nondum consuetudo proprium hunc titulum fecerat Imperatorum. Ergo non video, etsi ille Augustus vivo Octavio dictus non sit cur Romæ æqualem non habuerit auctoritatem Augusto: præsertim cum cætera nomina, titulosque, qui potestatem aliquam importabant omnes adeptus sit. Dio *(d)* de honorum, ac dignitatum nominibus fusè disputat, quos vindicare sibi Imperatores solerent; nimirum, ut ipse, ait, omnes, qui in populari forma reip. potestatem aliquam adjungebant: hos autem recensens Consulatum primo recenset; additque eam extra pomæ-

(a) in Adriano cap. 14.
(b) lib 53. ἡ γὰρ οὖν τοῦ Καίσαρος ἤτοι Αὐγούστου πρόσρησις δύναμιν μὲν οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκείαν προστίθησι, δηλοῖ δ' ἄλλως τὸ μὲν τὴν τοῦ γένους σφῶν διαδοχήν, τὸ δὲ τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα.
(c) ibid.
(d) ibid.

pomærium Consules sint Proconsules dici; deinde Imperatoris nomen, Censoris, Pontificis Maximi; denique Tribunitiam Potestatem. Admonet tamen potestatem, quæ his nominibus continebatur eam sibi Imperatores semper asseruisse, nomine ipso, & titulo aliquando abstinuisse: quod in Censoris nomine explicat, sed idem dicendum de Imperatoris titulo. Etenim cum aliqui non usurparunt, ut Caligula, & Claudius: quin etiam de Tiberio ipso, ait Dio (a), mortuo Augusto ad Exercitus & Provincias omnes tamquam Imperatorem literas dedisse, neque tamen adscripsisse Imperatoris nomen. Jam vero vivo Augusto Tiberius omnibus his insignitus reperitur. Censor factus quemadmodum Hervvartus, & Pagius ostendit: habuit eodem Auctore Pagio Imperatoris titulum, non illum solum, qui cognominis, vel agnominis, instar nomini adscribebatur ad decus victoriarum designandum, ut ait Spanhemius (b), sed qui prænominis loco ponebatur ad summam potestatem indicandam. Consulatum gessit, Proconsulare Imperium, Tribunitiam potestatem obtinuit. Quoad Pontificatum spectat, si de minori Pontificatu sermo sit, quem Vaillantius; *primi fastigii tyrocinium* vocat (c), vivo Augusto Pontifex appellatus invenitur sæpe in nummis apud Mediobarbum, cæterosque antiquitatis illustratores; si de maximo Pontificatu loquimur, observavit Joannes Andreas Bosius (d) eos tantum Imperatores ita appellatos, qui Imperium soli tenerent; *nam*, inquit, *cum primum duo, vel plures simul imperarunt, unus tantum Pontifex Maximus, cæteri Pontifices simpliciter vocati sunt*, quod ille ibidem fuse probat. Si ergo illi nihilominus summam in Urbe quoque potestatem obtinuerunt eamdem obtinere, & Tiberius potuit, quamquam Pontificis Maximi nomine, & dignitate careret. Addo ex Dione (e) Augusto summa rerum potito adhuc Pontificatum Maximum vivente Lepido non fuisse collatum, mortuo vero illum ultro oblatum aliquamdiu recusasse: præterea ex eodem Bosio plures reperiri Imperatores, qui vel brevius vixerunt, vel bellis fuerunt, atque expeditionibus extra Italiam occupati, in quibus Pontificatus hujusmodi vestigium omnino non reperitur; ut ad

I 2 supre-

(a) lib. 57. Ψηφισθὲν τὸ αὐτῷ καὶ σὺν τῷ ἄλλων ὀνομάτων οὐκ ἐδέξατο
(b) Dissert. 12.
(c) ad numm. Gordian.
(d) de Pontif. Imper. cap. 2.
(e) lib. 54.

supremam dignitatem, potestatemque intra ipsam Urbem obtinendam minime necessarius fuisse videatur. Quod si licet judicium meum interponere, arbitror hanc, de qua dicimus, potestatem, quæ Romam etiam contineret uno Proconsularis potestatis nomine comprehensam; ejus nimirum, quod primum Proconsularis dignitatis genus ex Spanhemio constituebat. Adducit me ad id dicendum loquendi modus a veteribus Historicis sæpius usurpatus, quando Imperium Proconsulare narrant alicui collatum, quod ad supremum illud genus nequaquam pertineret: addunt enim hanc exceptionem; *extra Urbem*. Atqui id adjungere necessarium non videbatur, siquidem nullum Proconsulare Imperium Mœnia Urbis pervaderet. Tacitus (*a*) narrans Claudium Neronem, quo die virilem togam Neroni dedit, eo die Proconsulare Imperium in illum contulisse, scribit decrevisse eum, *ut Proconsulare Imperium extra Urbem haberet*. Capitolinus de M. Aurelio (*b*); *Tribunitia potestate donatus, atque Imperio extra Urbem Proconsulari*. Salmasius Capitolinum reprehendit dicens: *vana illa adjectio extra Urbem: nam Imperium Proconsulare extra Urbem tantum fuit*. Animadvertit hanc limitationem etiam Norisius (*c*), neque aliam probabiliorem causam assignare potuit, nisi ut amplissimum Imperium extra Urbis pomærium significaretur, non intra certa tantum Provinciarum spatia; quod longius sane accersitum ad excusandam additionem illam videtur. Itaque satius est arbitrari Historicos illos Urbem ideo excepisse, quod Urbem quoque summa Proconsularis dignitas contineret. Utcumque sit; (nam ad ea delapsi sumus, quæ minime ipsa erant ad institutum nostrum necessaria) habuit Tiberius omnes honorum titulos, ac nomina, quæ eam potestatem indicare poterant, & postea propria fuerunt eorum Imperatorum, qui pariter cum altero Imperium administrarent. Addo antiquos Scriptores eo nomine Tiberium eo tempore decorasse, quod illam summam potestatem, atque omnium maximam indicarent. Illud insuper adjungo maxime hujus potestatis munere Tiberium Romæ perfunctum esse. Constant hæc ex Svetonio (*d*), & Plinio (*e*), quo loco narrant L. Pisonem a Tiberio Principe Præfectum Urbis creatum, postea

(*a*) lib. 12. Annal.
(*b*) cap. 6.
(*c*) Differt. 2. de Cenotaph. Pisan. cap. 9.
(*d*) in Tib. cap. 42.
(*e*) lib. 14. cap. 22.

*postea Princeps*, inquit Svetonius, *in ipsa publica morum correctione cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando, potandoque consumpsit; quorum alteri Syriam Provinciam, alteri Præfecturam Urbis confestim detulit*. Plinius vero de ebrietate loquens hæc Scribit: *gloriam hac virtute Parthi quærunt; famam apud Græcos Alcibiades meruit; apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanensis ad Proconsulatum usque e Prætura honoribus gestis, tribus congiis (unde & cognomen illi fuit) epotis uno impetu spectante miraculi gratia Ti. Claudio Principe, in senecta jam severo, atque etiam sævo alias: sed ipsa juventa ad merum pronior fuerat: eaque commendatione crediaere L. Pisonem Urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo, duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam Principem*. Cum vero Piso Urbis Præfecturam 20. annos gesserit, & mortuus sit Domitio Ahenobarbo, & A. Vitellio Coss., ideft a. æræ vulgaris 32. ex Tacito (*a*), benè colligit Usserius, & cum Usserio Pagius ante obitum Augusti extitisse Tiberium jam Principem, & Urbis Præfecturam Pisoni detulisse. Norisius (*b*) sibi, ait, plane constare Usserium ea in re hallucinatum. Cur? *dum*, inquit, *uterque Scriptor Tiberium id temporis Principem vocant, post obitum Augusti, cum unus Tiberius imperaret, id contigisse significant*. Immo vero hæc duo ipsa indicant, illa Plinii, & Svetonii loca; ante Augusti obitum, & Præfecturam Pisoni dedisse; & ideo dedisse quod fuerit jam tum vivo Augusto Princeps. Neque aliter quisquam judicabit, nisi qui malit ad illud effugium se recipere, codicum corruptionem, librariorum oscitantiam; & in Tacito pro viginti annis contra lectissimorum MS. fidem, decem reponere, quod si cui Lipsio, & Norisio auctoribus arrideat, non proinde aliquid de Proconsularis Imperii certitudine detractum erit, quod stare optimè potest etiam absque summa Tiberii in Urbe potestate: nos vero, qui ægrè admodum, & non nisi necessitate aliqua cumpulsi hujusmodi correctiones, dummodo antiquorum codicum auctoritate non fulciantur, admittimus, & qui nobiscum hac in re sentiunt pro certo Tiberium vivo Augusto jam Principem Urbis Præfectum constituisse habere debent. Quamobrem si Tacito, & ejus Codicibus fidem adhibemus, constat Tiberium ante Augu-

sti

(*a*) lib. 6. Annal.

(*b*) In Cenotaph. dissert. 2. cap. 16. §. 12.

sti mortem maximum potestatis munus intra ipsam Urbem exereuisse; nec non habuisse nomen, quod omnium maximam potestatem indicaret. Nullum enim in tota antiquitate reperies nomen ita Imperatorum proprium, quod quidem sit a Veteribus usurpatum, ut est Principis nomen. Itaque Harduinus (*a*) observat, ante Vespasianum, qui præcesserunt Augusti a Plinio tantum appellari *Principes*, numquam ferè Imperatores. Quin etiam Plinius de ipso Vespasiano loquens (*b*), ait; *quæque jam sunt dicata Vespasiano Principe in Templo Pacis*. Atque ipse Plinius hoc nomen Tiberio tribuit loeo supra allegato ęque vivo Augusto, ae cum solus Augusto mortuo imperaret. Concludam ergo Tiberio summam auctoritatem non esse denegandam intra Urbem ipsam, si & nomen habuit, quod omnium maximam potestatem indicaret, & munus hujus potestatis præcipuum exercuit. Sed aliquando eo unde est digressa revertatur oratio. Si æquum omnino Augusto jus, potestatemque Tiberius obtinuit, qui dicere potuit Spartianus M. Aurelium, & L. Verum primos Augustos pariter Remp. gubernasse? Erunt fortasse, qui de solo Augusti nomine illum malint interpretari; quasi M. Aurelius, & L. Verus primi simul Augusti fuerint appellati; etsi ante illos alii summam pariter auctoritatem etiam intra ipsam Urbem obtinuerint. Hi explicationis suę, & Capitolinum auctorem habere videntur, qui in M. Antonini vita hęc habet de eisdem Marco, & Lucio; *tunc primum Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit*; neque ita facile erroris convinci possunt. Nam quamquam habeamus ex Titi nummis plures (*c*) vivo Vespasiano percussos, in quibus AUG. legitur; atque *Augustus* diei videatur, tamen non desunt viri eruditi, qui notas illas interpretantur *Augur*, ut in M. Antonii nummis: Gręcos vero apud Patinum T.AΥT.KAIC. ΣEB. OΥEΣΠAΣIANOΥ legunt *Tίτος αυτοκράτορες αύγουρος ουεσπασιανου* (*d*), quod ideo faciunt, ne aliquid inducant, cujus in lapidibus, aliisque monumentis vestigium non extat, usi testimoniis non omnino certis; mihi qualiscumque ea explicatio sit non eonvenire videtur Spartiani loco. Itaque alia responsione utor multo faciliore; nimirum, id eum asseruit, deceptum esse Spartianum; neque quo-

(*a*) In Plin.
(*b*) lib 34. cap 8.
(*c*) apud Mediobarbum IMP. T. CAES VESP AUG F AUG.
T. CAES. VESPASIAN. AUG. IMP. IIII.
PONT TR. POT. II. COS. II.
(*d*) Percussos vivo Patre significant notæ in medio appositæ L.Γ., & L.Δ. &c. etenim Patri successit Trib. Pot. 9.

quominus id dicam pudore impedior. Norunt viri docti quid de eo, & cæteris, quos Historiæ Augustæ Scriptores vocant sentiendum sit, præsertim ubi a rebus suorum temporum discesserint: Budæus, Mottanus Vayerus, Tillemontius (*a*), aliique hos inter Illustres Scriptores numerari nolunt, vixque dignos habent Historici nomine. Certe in hoc Spartianum, & ejus exemplo cæteros dormitasse constat, vel Titi unius Imperio, quod constat vivo Patre illum habuisse, ut Collegam; & cum eo pariter Remp. administrasse. Testes hujusce rei Plinius (*b*) *simul Filius, simul Cæsar, mox Imperator, & Consors Tribunitiæ Potestatis, & omnia pariter, & statim factus... non solum successor Imperii sed particeps etiam, sociusque.* Titum Svetonius *Collegam cum Patre* vocat. Philostratus (*c*) tradit, cum Imperator esset Romæ appellatus Titus omnibus ornatus dignitatibus, abire eum constituisse, ut cum Patre pariter imperaret; & paulo post Titum ipsum inducit de se prædicantem, annos natum triginta iisdem honoribus affectum fuisse, quibus Pater jam sexagenarius; etiam cum eo simul ad Imperium vocatum. Plinius Senior libros suos de Historia naturali inscribens Tito, non aliter illum, quam Imperatorem compellat; *jucundissime Imperator*; atque idem disertius significat dicens; *te quidem in excellentissimo humani generis fastigio positum religiose adiri etiam a salutantibus scio*; alibi vero (*d*) apertissime; *nam ut quindecim diebus utrumque sidus quæreretur nostro ævo accidit Imperatoribus Vespasianis Patre IV, Filio iterum Coss.* Eadem plane ratione Josephus (*e*) ambos Imperatores αὐτοκράτορες vocat de eorum triumpho loquens, atque Isidis templo, in quo nocte quiescebant. Non video, quibus testimoniis constare planius possit Titum a Patre in Imperii societatem, communionemque adscitum. Itaque & illud necesse est consequi M. Aurelium & L. Ve-

(*a*) Balthassar Bonifacius 15. hist. Ludicræ; Capitolinus, Lampridius, Spartianus; qui Cæsarum vitas conscripserunt Historici futiles Dempstero, si scribendi genus spectetur.. frigidi confusi inter claros Auctores non numerandi Budæo vixq; digni, ut Historici censeantur. Vayer. T.2. Op. *Le jugement de tous les Savans est conforme a celui d'un Auteur, qui les nomme dans la preface Historiæ dehonestamenta*, Tillem. T.3. mem. *Lampride, & les autres, qui ont fait l'Histoire Auguste au commencement du IV. Siecle ne meritent point du tout le nom, d'Historiens*. Prætermitto Harduinum, cui suppositi sunt hi omnes.

(*b*) In Panegyr.

(*c*) Philostr. l. 6. de V. Apoll. cap 24. ἀναῤῥηθεὶς γὰρ αὐτοκράτωρ ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἀριστείων ἀξιωθεὶς ἀπῄει ἰσομοιρήσων τῆς ἀρχῆς τῷ πατρί.

(*d*) lib. 2 cap. 8.

(*e*) ἐκεῖ γὰρ ἀνεπαύοντο τῆς νυκτὸς ἐκείνης οἱ αὐτοκράτορες lib. 7. de bell cap. 24.

& L. Verum nequaquam fuisse primos, qui Romanum Imperium pariter administrarent. Non ergo nocet Proconsulari Imperio Tiberii, Spartiani auctoritas. Quæ de *novo Principatu*, de Liviæ metu, obiici præterea solent ea sunt optime a Pagio, Pezronio, Honorato refutata; ut nihil nunc mihi addendum videatur, nisi forte illud: quamquam Livia multum metueret Tiberio; Tiberium tamen pace omnium regnasse, quod nequaquam futurum fuisse est credibile, ut sileret Populus, ut turbas non concitaret, ut primum Imperatorem jure quodam successionis sibi imponi, perpetua servitute hoc pacto afferta, pateretur, nisi hoc jamdiu passus esset, Augustoque vivo Tiberius equum omnino illi jus, potestatemque habuisset. Atque ad Augusti sapientiam (fuit enim vir ille prudentissimus) spectasse videtur, qui Populi Romani sensa, atque ingenium noverat, quem Regem pati non posset, ita in posterum Tiberio consulere, & publice omnium quieti providere.

Restat ut de altera controversia aliquid dicamus; an verisimile sit S. Lucam ab anno, quo hanc potestatem Tiberius obtinuit ejus Imperii annos numerasse: hoc vero, primo illo constituto, sequi omnino videtur; cur enim non sit verisimile numerasse ab eo tempore, quo vere Tiberius cœpit imperare? At enim Imperii annos nemo sic numeravit? Hoc est invictum, ut putant telum illud, quod contra nos Adversarii intorquent; quibus respondet Honoratus a S.Maria, & Schelstratus (*a*), proferuntque Clementem Alexandrinum (*b*), qui Imperatorum Romanorum annos recensens primum Tiberio annos 22. Imperii, & aliquot menses tribuit; deinde juxta aliorum computationem annos 26. cum sex mensibus; & licet utrosque computatos fuisse indicet a morte Augusti; *nullum tamen dubium mihi est*, inquit Schelstratus *quin computati fuerint a tempore Proconsularis Imperii. Si enim Veteres illi computassent annos Tiberii a morte Augusti necessariò non circa initium Imperii Tiberii, sed circa finem ejus discordes fuissent*; *cum tamen apud omnes semper constiterit, quo Consulatu, & tempore Tiberius obiit*. Deinde addit prophanos Scriptores discordes fuisse de Imperii Tiberii initio; S. autem Lucam, quod non Romæ, sed in Provinciis Evangelium scripserit, recte existimari computasse Imperium Tiberii a suscepto Proconsulari Imperio: atque ideo non illud

(*a*) loc. cit. (*b*) lib. 1. Strom.

illud expressisse per vocé τῆς βασιλείας; sed per aliam τῆς ἡγεμονίας, quæ etiam de Provincialibus Præsidibus, ut ibidem de Pilato dicitur. Adjungit Clementi Alexandrino, Honoratus, S. Ireneum, qui (a) natum esse CHRISTUM asserit circa primum, & quadragesimum annum Imperii Augusti; hoc est, ut Honoratus, ait, 41. Juliano. Cum vero alibi (b) dicat baptizatum anno 30. incepto, addatque eum tria Paschata celebrasse, sequitur annum XV. Tiberii, qui Lucę 3. memoratur intellexisse illum de Proconsulari Imperio. Denique Pagius (c) vult *Africanum uti, & alios plerosque antiquos, qui primis quatuor Ecclesiæ sæculis floruere, XV. Tiberii annum non a morte Augusti Cęsaris, sed ab Imperio Proconsulari Tiberii anno æræ Dionysianę XI., aut XII. collato deducere*. Atque idem addit (d), fecisse id etiam Lucam exemplum secutum Jeremię, & Sacrę Historię. Etenim Nabopolassarum Babiloniæ Regem Nabuchanesarem Filium, Nabuchodonosorem Seniorem vulgo vocatum, anno Periodi Græco-Romanæ 4881. in societatem Regni assumpsisse. Jam vero Berosum in tertio Chaldaicæ suę Historię libro, Josephum libro decimo Antiquitatis cap. 11., & Ptolemeum in Regum Babiloniorum Canonem, quadragiuta tantum quatuor annos Nabuchodnesari tribuere; licet is imperaverit annos 44., menses 7., & dies circiter 10., ut ostendit Usserius in Chronol. Sacr. cap. 6. Rationem hujus esse, quod Auctores laudati Principis annos a Patris morte dinumerent; at in Jeremia, & in Sacra Regum Historia ab expeditione ejus in Syriam, & Judæam vivente Patre suscepta ejus Principatus Epocha ducatur; ut Usserius declarat. Hęc Pagius, quę profert etiam Honoratus (e), & post illos cæteri. Mihi vero liceat rem alio deducere; iisque, quæ eruditi viri proferunt non improbatis, faciliori quadam responsione uti.

Veterum ergo scriptorum nemo unus Tiberiani Imperii annos a Proconsulari ejus potestate numeravit. Primum illud postulo; quam multos scriptores habemus Lucæ æquales, qui rationem ineant annorum Tiberii? profer unum aliquem, vel Sacræ Historiæ, vel prophanæ Auctorem? quod si neminem potes producere; quid est, quod mirum videatur unum ejus ætatis scri-



(a) lib. 3. cap. 25.
(b) lib. 2. cap. 39.
(c) dissert. de Periodo Græco Rom.
(d) ad an. 31. Baron.
(e) lib. 5. dissert. 2. art. 9. §. 3.

scriptorem, quem habemus diversâ planè ratione ab aliis, qui postea sunt consecuti Imperatoris annos computasse? Etenim sunt hic duo sedulo animadvertenda. I. Augustum conditorem perhiberi Romani Imperii: non ergo inoleverat sub Tiberio vetus aliquis mos, & certa quedam ratio Imperatorum annos numerandi; immo alios aliter fecisse; ut in rebus inusitatis, & novis plerumque accidit credibile est; nec vero defuisse, qui ab anno numerarent, quo Tiberius revera cœpit imperare; quibus accesserit Evangelista Lucas. Quamobrem nihil est, quod Basnagius *(a)*, Lamius, Monelia recenseant eos, qui postea annos Imperii computarunt ab Augusti morte; aut magnum aliquid contra nos se conficere arbitrentur, cum morem postea inductum proferunt annos ita numerandi. Nego morem hunc invaluisse, aut existere omnino potuisse Lucæ tempore; ut cognitum illi esse oporteret, atque ei debuerit se conformare: meminerint Tiberium secundum fuisse Romæ Imperatorem, ac ferè sub ejus tempus Evangelium suum Lucam conscripsisse *(b)*. Additur, qui Tiberii annos ab Augusti obitu recensent esse plerosque historicos, quibus id est præcipue propositum, ut quot annos quisque vixerit cognoscant, & tradant eoque rationes suas, & supputationes dirigant. Alterum est: nullum tunc temporis fuisse publicum, & ut dicimus authenticum modum certum, ac statutum numerandi annos, quos in Imperio vixerant Imperatores. Nam si vetera monumenta consulamus; inveniemus hęc in iis tria tantummodo cum adjecto numero recensita; initum Consulatum, susceptam Tribunitiam potestatem; & acclamationem, sive nomen Imperatorum adjectum parta victoria. Hæc tantummodo habent veteres inscriptiones, hæc antiqui nummi. At horum titulorum nullus indicare potest, quot annos Tiberius in Imperio vixerit. De Consulatus, & Imperii notis liquet; sed nec Tribunitia quidem potestas: In Tiberio enim interrupta illa fuit, & ante assumpta, quam ad Imperii consortium, communionemque admitteretur; quare, & eo destituebantur adjumento, quo deinde numerati passim, & cogniti sunt Imperatorum anni; unde

(a) locis citat.

(b) Euthymius, & Theophilactus proem. in Luc. putat Lucam scripsisse Evangelium [illegible] annis post Christi Ascensionem; ita & plurimi Cod. MS. ad fin. Evang., sed cum nondum Paulo comes factus esset rejicitur a pluribus hæc sententia. Baronius censet Lucam scripsisse an. Christi 58. Cum vero Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Chrisostomus &c. putent de Luca, & Evangelio ejus loqui Paulum 2. Corint. 8. 18. ante hoc tempus scriptum esse oportuit.

unde nil mirum, si in Epocha annorū Tiberii non convenerint Auctores; maxime cum sæpe contingat, ut optime norunt Eruditi, plurimorum Imperatorum annos, si a decessorum obitu numerentur, vix, aut ne vix quidem cum Tribunitiæ Potestatis, aut aliis notis publicis in monumentis exaratis componi posse. Vailantius *(a)* Patinus *(b)*, Harduinus *(c)*, Philippus a Turre *(d)* nummos afferunt Galbæ, cum nota L. B., sive anno 2., qui a Neronis obitu menses circiter 7. tantummodo Imperavit. Occo, & Goltzius *(e)*. Nervæ nummum referunt, in quo legitur:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΝΕΡΟΥΑ ΚΑΙϹΑΡΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΕΤΟΥϹ ΤΡΙΤΟΥ,

aliosque præterea nummos multos notatos potestate Tribunitia III., quam habet quoque Lapis apud Gruterum *(f)*.

I M P. N E R V A. C A E S A.
T R I B. P O T E S T. III. I M P. II.

At ex Dionis excerptis, ex Clemente Alexandr.: & Theophilo Antiocheno *(g)* 17. Imperii mense decessit. Deinde quid dicemus de celeberrimis Nummis Hadriani, quos non Patinus tantum, sed & Harduinus *(h)* attulit cum nota L.K B. scilicet 22, & Inscriptionibus, quæ consonant, & Tribunitiam Potestatem habent XXII., qui cum, ut Pagius *(i)* ostendit annos 20., & menses 11. vixerit, ut plane affirmat apud Xiphilinum Dio, Norisius fassus est se nodo solvendo imparem esse, & Pagius falsitatis omnia illa monumenta insimulavit, cum se expedire aliter non posset. His omissis, Philippus a Turre, Lucii Veri nummum profert cum integra nota ΔΕΚΑΤΟΥ, sive *X. anno*, quam Patinus in nummo suo adrosam repræsentaverat. Constat autem ex Capitolino, Dione, aliisque Verum donatum Tribunitia Potestate a. 161.: decessisse vero a. 169. exeunte Norisius, Pagius, & melioris notæ Chronologi consentiunt; itaque annum Imperii nonum non complevit. Celeberrima vero est Eliogabali, seu Elagabali Tribunitia potestas *(k)*, quæ in nummis consignata visitur, de qua Valsecus, Philippus a Turre, & Vignolius disseruerunt *(l)*. Nec vero antiquitatis

 studio-

*(a)* de Num. Grec. Imp. pag. 19.
*(b)* In Thes. Mauroceno pag 113.
*(c)* In Hist. Augus. pag. 729.
*(d)* De Ann. Imp. Elegab cap. 3.
*(e)* Pag 63 edit Antuerp a. 1608.
*(f)* Pag. CLXXXV.
*(g)* lib. 1. ad Autol.
*(h)* In Hist. Aug. pag 765.
*(i)* In differt. Hipat. cap. 4. & in Crit. ad an. 138.
*(k)* Differt. hipat. loc. cit.
*(l)* Peculiaribus differt. ea de re editis.

ſtudioſos exercet minus Otacillæ Philippi Uxoris nummus apud Patinum, qui notam profert L. Z.; ideſt an.7.; cum tamen Baronium, & Panvinium, qui Philippum volunt imperaſſe annos 7. Pagius, Pearſonius, Tillemontius egregiè refellant, ac demonſtrent ultra annos 5., duoſque, vel tres menſes Imperium Philippum non produxiſſe. Neque placet, quod reponunt aliqui odio illos ſuperiorum Principũ id feciſſe, ut ad ſe antea etiam pertinuiſſe Imperium ſignificarent, memoriamque illorum abolerent: ut ut enim ita hunc nummum interpretari liceret, cæteris ſanè hæc explicatio non convenit, neque dici poteſt id feciſſe Hadrianum, aut L. Verum. Quæ ſi admittatur illud conſequitur, non conſtare ſemper a ſuperiorum Principum obitu annos ſucceſſorum fuiſſe numeratos. Neque verior videtur interpretatio illa, quam Mediobarbus *(a)* adhibet in Nummis Galli, & Voluſiani, quibus ſignatur eorum Trib. Poteſtas III., & IV. *(b)* cum biennium, & quatuor menſes tantummodo imperarint, nimirum averſas facies ex nummis aliis defectas his fuiſſe a doloris hominibus aptatas; plures enim ſunt planè conſenſientes, ut de his quid ſimile liceat ſuſpicari. Tandem de Tacito etiam ſciunt Eruditi publicis monumentis conſignatam eſſe Tribunitiam poteſtatem II., & binis quidem inſcriptionibus apud Gruterum *(c)*:

| | |
|---|---|
| I M P. | I M P. |
| C A E S A R I | C Æ S A R I |
| M. | C L A U D I |
| C L A U D I O | O. T A C I T O |
| T A C I T O | P I O F. I N |
| P I O. F. I N | V I C T O |
| V I C T O | A U G. |
| AUG. P O N T I F. | P O N T M. |
| M. T R I B. | T R I B. P O. |
| P O T E S T A | T E S T A |
| T I S I I. C O S | T I S. I I. |
| P P. | C O S. P R O |

At ſeptem tantum menſibus imperavit, & ducenteſimo poſtquam Imperator factus eſt die interiit ex Victore. Ex quibus omni-

*(a)* In Numm. Galli

*(b)* Apud. Bandurium Tom. 1. Numm. Imp. pag 61. 65 89 &c. Patinus in num. Imp. pag. 397. numerum annorum in Galli nummis notatum ſe non intelligere diſertè profitetur.

*(c)* Pag CCLXXVII.

omnibus patet longe plures annos hisce Imperatoribus attribui in publicis monumentis, quam ab obitu antecedentium ad eorum mortem interfluxerint. Quod ut explicent varias ineunt vias plures doctissimi viri, qui id de Tribunitia Imperatorum potestate differentes (a) tentarunt. At nondum prodiisse explicationem, quæ plane satisfaciat fateri cogimur. Scimus tamen inter animadversiones (b) nummarias Eruditissimi P. Alberti Mazzoleni Bergomensis Abbatis Congregationis Cassinensis brevi in lucem emittendas unam esse, in qua Cl. Auctor fusam de Tribunitia potestate instituit disputationem, & rem hanc enucleatè pertractat, opinionibus accurate discussis, earumque difficultatibus patefactis eam seligit, quæ Toinardo a Pagio tribuitur, utpote difficulatibus minus obnoxiam, quas omni eruditionis genere minuere conatur, eamque quantum in re tam dubbia, atque obscura potest confirmare. Quę ex specimine a Cl. Auctore singulari humanitate nobis transmisso cognovimus. Qui tamen cum, & ipse pluries summam rei difficultatem, atque ambiguitatem profiteatur nobis locus relinquitur afferendi non adeo esse exploratum semper à superiorum Principum obitu insequentium annos fuisse numeratos, ut velut canon quidam, & pro demonstrato haberi possit. Immo aliquis suspicari fortasse posset ideo supra relatis monumentis exculptas annorum notas ab aliqua alia priori Epocha esse deducendas, qua ratione omnis tollitur difficultas, unde in Tiberio id a Luca factum mirum videri non debeat, quod tot exemplis firmatum, at hoc conjecturæ cujusdam loco haberi volumus. Cæterum cum nullus tunc esset certus mos publice receptus, & costitutus annos Imperii dinumerandi; non video cur incredibile videatur S. Lucam a vero recepti Imperii anno computationem suam inivisse? Adjunge cætera, quę Pezronius, Pagius, Schelstratus, Honoratus, Cappellus, aliique afferunt; constabit non repudiandum, sed excipiendum avide fuisse modum ab Hervvarto oblatum publica monumenta (ex quibus, ut diximus, sua illa PP. proferunt) cum Evangelio conciliandi.

Quod si constituere possumus, quo potissimum anno colla-

ta

(a) Panvinius, Sigonius, Petavius, Pearsonius, Norisius, Pagius Valsechius, a Turre, Vignolius, &c.

(b) Ad Explicat. numm. Imper. Ecc. Domus Pisanæ addit duos Tom. 2 1. Animadvers. Numm., quorum alter complectitur Animad. Trib. Potest. & Votorum decennal. &c.

ta hçc poteſtas Tiberio fuerit,patebit fortaſſe etiã modus Patres conciliandi inter ſe ; tum eos, qui Tiberii annum XV. proferunt; tum eos, qui nominant XVIII. Verum de eo anno diſſentiunt non recentiores dumtaxat , ſed vetuſtiſſimi Auctores Vellejus, & Svetonius, ut pleriſque viſum eſt eruditioribus Viris. Svetonius prius triumphaſſe Tiberium tradit, deinde accepiſſe Proconſularem dignitatem (a) . Triumphavit autem Tiberius anno vulgaris æræ 12., Dodvvellus (b), Pagius, Petavius,Sigonius,aliique ex veterum monumentis colligunt. Quare juxta Svetonium non ante annum CHRISTI 12. conſors Imperii factus eſt Auguſto. Contra Vellejus (c) , ut Pagio Norifio, Blanchino videtur non ſolum ante triumphum factum eſſe conſortem Imperii ſignificat , ſed diſſerte aſſerit accidiſſe id anno uno ante adeptum triumphi honorem. *Mittitur* , ait Vellejus, *ad Germaniam* , *Gallias confirmat &c.* , *maximaque cum gloria incolumi omnium* , *quos tranſduxerat numero in hyberna revertitur*: hic finiri annum monet Noriſius (d) , & Pagius (e): *eadem* , *& virtus* , *& fortuna* , pergit Vellejus, *ſubſequenti tempore ingreſſa animam Imperatoris Tiberii fuit* , *quæ initio fuerat* , *qui concuſſis hoſtium viribus claſſicis* , *peditumque expeditionibus* , *cum res Galliarum maxime molis* , *accenſaſque plebis Viennenſium diſſentiones coercitione magis* , *quam pœna molliſſet* , *& S. P. Q. R. poſtulante patre ejus* , *ut æquum ei jus in omnibus Provinciis* , *Exercitibuſque eſſet* , *quod erat ipſi* , *decreto complexus eſſet* ( *etenim abſurdum erat* , *non eſſe ſub illo* , *quæ ab illo vindicabantur* , *& qui ad opem ferendam prius erat ad vindicandum honorem non judicari parem* ) *in Vrbem reverſus jampridem debitum* , *ſed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatiſque egit triumphum* . Hic quoque Pagius admonet verbis illis *ſubſequenti tempore* annum venire CHRISTI 11., & 12.; ita ut ad annum 11. referatur decretum de Imperio Proconſulari, ad 12. vero actus triumphus. Enimvero omnes conveniunt, ſi Svetonius, & Vellejus diſcordent huic potius,quam illi fidem eſſe adjungendam, qui rerum, quas ſcripſit fuerit ſpectator, & teſtis. Verum Petavius (f) exiſtimat;tametſi nonnihil a Svetonio

(a) cap 20. , *a Germania in Urbem poſt biennium reverſus triumphum,quem diſtulerat egit . . . dedicavit* , *& Concordiæ ædem ; item Pollucis* , *& Caſtoris ſuo* , *fratriſque nomine de manubiis ; ac non multo poſt lege per Conſules lata ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret* , *ſimulque cenſum ageret &c.*

(b) in Annalib. Vellej.

(c) cap. 120.

(d) in epiſt. ad Pag. Tom. 4. Oper pag. 765.

(e) ad an. Baron. 11.

(f) lib. 11. D. T. cap. 7.

nio Vellejus discrepet, non magnum tamen hoc esse dissidium: nam, inquit, fieri potest, & vero probabile est, eodem ut anno, quo triumphavit Tiberius, sed ante triumphum summum illud Imperium sit adeptus. Utrumque, vel anno æræ vulgaris 11., vel 12. auspicemur Proconsulare Tiberii Imperium, conciliantur Patrum loca, qui anno 15., & 18. Tiberii affirmant CHRISTUM esse passum. Si enim figas anno 11., atque annum primum Tiberii auspiceris post diem Dominicæ Passionis, erit annus æræ vulgaris 29., quando CHRISTUS est mortuus Tiberii 18. decurrens, vel erit completus si post eam diem statuas. Quod si deputes anno 12., atque ante prædictam mortis CHRISTI diem initium collocces, erit idem æræ vulgaris 29., Tiberii 18. inceptus, vel si post eam diem statuas, prolepticus a Kalendis Januarii deductus. Jam vero patet an. 15. Joannem prædicationem exordiri, & CHRISTUM mori potuisse; si ibi a prima, hic a secunda epocha numeretur. Anno 11., Tiberii Proconsulare Imperium orditur Pezron, & M. Antonius Cappellus, præter Norisium, & Pagium: etsi Cappellus uno anno erravit in subducendis rationibus suis, ut Petavius animadvertit; item Stampa, & Blanchinus. Blanchinus tamen systemati suo inhærens Consules quidem habet hujus anni, sed annū vocat æræ com. 10.; anno 10. Pagius olim (a) alteram hanc Tiberiani Imperii epocham assignaverat, a qua opinione postea, ut dictum est, in Baronianis animadversionibus discessit. Gravesonus (b) negat se videre cur a pristina opinione sua desciverit vir doctus: itaque illam ipse sequitur; sed causa, opinor, fuit erudito, ingenuoque viro gravissima; quod sua argumenta omnia a Norisio (c) soluta optime, ac refutata cognoverat. Hervvartus (d) biennio ante mortuum Augustum potestatem hanc collatam Tiberio censet. Pighius (e) C. Silio, & L. Munatio Cos., qui est annus Christianæ æræ 13. ante Augusti obitum anno uno. Sed hæ minus probatæ opiniones sunt. Neque vero hæc diversitas contra Proconsularem potestatem quisquam facit. Sæpe enim accidit, ut de re ipsa constet; de rei adjunctis dubitetur. Nullum ergo est hujusmodi argumentum a Basnagio allatum. Atque hactenus de altera hac Tiberiani Imperii epocha, quæ una tantas controversias, quantas supra memoravimus conciliare potest. Nam

ejus

(a) In differt. hyp. cap. 3. num. 3.
(b) differt 10 de Myst.
(c) in epist. ad Pag.
(d) cap 28.
(e) Tom. 3. Annal. ad hunc annum

ejus beneficio, & monumenta antiqua Evangelio, & PP., qui CHRISTUM mortuum tradunt anno Tiberii 15. ab iis, qui 18. anno mortem CHRISTI consignant minime discordant; cum uterque annus 29. indicet æræ vulgaris. Unus, quod sciam, Monelia Tiberii annum a morte Augusti 15. cum anno copulat æræ vulgaris 27. Sed cum plerique PP., qui CHRISTI mortem assignant illi anno Consulatui quoque Geminorum duorum assignat, necessario dicendum erit Moneliæ, Consulatum Geminorum in annum cadere æræ vulgaris 27.; ergo non in 29.: non ut ipse vult in 30., sed ejus rationes ut starent, coactus est hoc affirmare: quare ex hoc etiam capite laborare videtur ejus systema.

## §.VIII.
## *De reliquis Chronologicis characteribus.*

SEquitur ultima ex Chronologicis notis, quæ multas complectitur; nimirum eas omnes, quæ annum CHRISTI emortualem indicant ex aliqua posteriori epocha, unde Veteres Scriptores computant annos ad JESU CHRISTI necem. I. Petavius (a) eos enumerans, qui CHRISTUM mortuum volunt anno æræ vulgaris 29., ait, *& Sulpitius Severus lib.2.historiæ, qui & ab anno illo Consulatus Geminorum duorum ad Stiliconem Consulem numerat annos 372. Stiliconis primus Consulatus, quem cum Aureliano gessit, incurrit in annum* CHRISTI 400., *de quo detractis 372. reliqui sunt 28. Itaque vigesimonono communis æræ, in quem Geminorum Consulatus convenit passus a Sulpitio ponitur* CHRISTUS. Hæc Petavius, & ex computandi ratione a veteribus usurpata, quam etiam Pagius (b) tradit, optime: si de loci illius lectione constaret. Esset etiam contra Blanchinum, & Moneliam validissimum argumentum. Verum multa reperitur cum in editis libris, tum in Codicibus MS. varietas: Plantiniana quidem editio anni 1574. habet annos 372.: eumdemque numerum Romana Pauli Manutii a.1564., & Bononiensis a.1580. cum commentariis Sigonii, uti in commentario citat hunc

(a) lib.12. D. T. cap. 9.

(b) In Crit. ad an. 29.

hunc locum; licet in textu errore Typographi legatur 371. Sed quia Sigonius hunc numerum emendavit, subftituitque alium 367.: item in Lipfienfi editione anni 1703. ex recenfione Joannis Vorftii habetur 322.; atque ita in Batava-Lugdunenfi 1626.; aliaque anni 1635., præterea in Amftelodamenfi anni 1656; in Franchenenfi anni 1608., & in Colonienfi Patrum Bibliotheca editionis Lugdunenfis. Nos qui pro certis, quæ dubia funt venditare nolumus id ftatuimus tantum Sulpitium Severum, fi ulli fententiæ, faveat, favere anno 29.

Schelftratus Severi hoc teftimonium confirmat auctoritate Scriptoris illi ferè æqualis Q. Julii Hilarionis, qui ita fcribit lib. de hebdomadibus Danielis loquens de L. Licinii Luculli Confulatu; *ex iftius namque Confulatu annnos jam Confules requirentes inveniemus ufque ad paffionem D. N. I. C. ufque ad annum 16. Imperii Tiberii Cæfaris 179. annos effe completos ... de quadringentis vero, & 70. annis a paffione Domini in Confulatu Cæfarii, & Attici die IX. Kal. Aprilis anni tranfierunt* 369. Ita legi in Codice MS. Bibliothecæ Regiæ Alexandrinæ octingentorum annorum idem teftatur. Confulatus L. Licinii Luculli, cum Collega A. Poftumio Albino, ex Norifio, Pagio, Petavio &c. incidit in annum V. C. 603. ante vulgarem æram 151.; huic addas annos 28. habebis annos 179., quot Hilario dicit interfuiffe, & quidem completos ad annum Dominicæ paffionis, quem ut fupra diximus aliqui dixerunt effe annum Tiberii 16.; nec tamen a cæteris, qui 15. numerabant, diffentiebant. Rurfus Confulatum Cæfarii, & Attici notatum reperies ad annum æræ vulgaris 397. detrahe annos 28., habebis 369., prorfus, ut Hilario fupputaverat. Quare hic quoque Auctor favere depræhenditur anno æræ vulgaris 29.

Auctor alius Anonymus, qui fub Alexandro Imperatore floruit, ex quo excerpta quædam confecit alius Anonymus fub Carolo Magno, ut apud Canifium (a) videre eft, hęc habet (b) *a generatione* CHRISTI *ad paffionem ejus anni* 30, *& a paffione ejus ufque ad hunc annum, qui eft XIII. Alexandri anni* 206. idem poftea repetit, atque adjungit, quæ alibi de Olympiadis anno diximus. Annus Alexandri XIII., ut eo loco afferuimus eft annus æræ vulgaris 234.: fi a numero hoc fubtrahas 28., obtinebis annum 206. Quare eodem ifte recidit, & Auctores diverfi, diver-

L

(a) Tom. 1. var.    (b) lib. 1. cap. 18.

diversarumque ętatum inter se concordant optime ubi ad temporum computationem Consulatus adhibent, qui in publicis tabulis consignabantur; estque omnium, Auctore Augustino, certissimus character Dominicæ Passionis.

Alterum caput constituimus ex iis, qui æras diversas adhibent præsertim Syriæ Civitatum (a), atque epocham CHRISTI mortis cum iisdem componunt. Eligimus autem præ cæteris æram Edessenorum, quod sit omnium maxime celebris. Eam Card. Norisius (b) optime probat initium capere ab anno ante æram vulgarem 311., V.C. 442., Olympiadis 117. anno 1.; eamdemque, ac Seleucidarum æram esse contra Harduinum demonstrat. Jam vero Eusebius (c) ubi retulit post CHRISTI resurrectionem, ejusque in Cœlos ascensum Thaddęum unum e 70. Discipulis Edessam missum; idque ex Edessæ ipsius tabulario constare, subdit hoc esse actum anno quadragesimo supra trecentesimum; cujus loci lectionem genuinam ubi asseruit Henricus Valesius addit; *annus hic trecentesimus, & quadragesimus juxta Edessenos cadit in annum primum Olympiadis 202.; etenim Edesseni annos suos numerabant ab Olympiadis 117. anno 1., quo Seleucus regnare orsus est in Asia, ut scribit Eusebius in Chronico; a quo tempore usque ad initium Olympiadis 202. anni sunt trecenti, ac quadraginta. Porro initium Olympiadis 202. incidit in annum 15. Tiberii Cæsaris, qui duobus Geminis Coss. est insignitus; quo quidem anno, & Passionem, & Ascensionem Domini contigisse plerique Veterum crediderunt, inter quos est Tertullianus, Augustinus, atque Victorius.* Hæc Valesius, Norisius quoque (d) inter cætera argumenta, quibus CHRISTI mortem adstruit anno æræ vulgaris 29. hoc recenset ab Edessenorum ęra desumptum. Hujus argumenti vim optime sensit vir clarissimus Thomas Monelia: neque quicquam, quod reponeret habuit, nisi forte non omnia, quæ ibi ab Eusebio narrantur eodem anno acta; sed Edessenarum tabularum Scriptorem Sęculo fortasse III., quod ita de Supremo CHRISTI sentiret, omnia simul in tabulas retulisse, eademque nota temporis consignasse. Sed dum nullo hoc teste, aut nullo adducto argumento dicit, nobis

(a) de his Justinian. Nov 47.
(b) de Epoch Syro Mac. dissert.2. cap.3. & dissert.1. in Cenotaph. Pisan. cap.16. §.12.
(c) lib.1. H E. cap.13. ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει ἃ καὶ οὐκ ἀχρήστως πρὸς λέξιν ἐκ τῆς Σύρων μεταβληθέντα φωνῆς ἐνταῦθά μοι κατὰ καιρὸν κείσθω.
(d) dissert.2.

bis cum ſupra laudatis viris doctiſſimis, quæ eodem orationis ductu ab Euſebio narrantur eodem tempore accidiſſe exiſtimare licet, & culpa omni deſcriptorem vacare: niſi volumus hujuſmodi conjecturis plurima alia evertere, quæ nunc ſtant virorum Sapientiſſimorum judicio.

Hic alterius characteris venit mihi in mentem, qui huc pertinet, & tertio loco collocari poteſt, petiturque, ex Apoſtolorum rebus geſtis poſt CHRISTI mortem. Deckerius quidem ſententiæ ſuæ de anno 31. patrocinari putat Apoſtolorum diviſionem anno poſt CHRISTI paſſionem duodecimo factam, & Martyrium Petri, & Pauli: immo, & Jacobi necem. De anno Apoſtolorum (a) Martyrii ſunt celebriores ſententiæ duæ. Prima Euſebii (b), Hieronymi (c), & Caſſiodori (d), qui volunt eſſe annum Neronis 14. Altera eſt Epiphanii, qui eam necem tribuit Neronis anno duodecimo (e). Omnes vero conveniunt contigiſſe poſt CHRISTI paſſionem anno 37., diſerte id affirmat Hieronymus (f), & Iſidorus (g); Euſebius vero (h), aliique, qui anno 12. volunt Apoſtolorum diviſionem contigiſſe, aſſignantque Romanæ Cathedræ Petri annos 25. idem ſentire cenſendi ſunt: nec non Chryſoſtomus, qui a Pauli converſione ad obitum uſque numerat annos 35. (i): etenim eam converſionem, ut Deckerius teſtatur *tabulæ, & regiſtra Eccleſiarum conſignant anno 2. a* CHRISTI *morte*. Eos, qui anno Neronis 14. collocant Apoſtolorum Martyrium Baronius (k), ait, *in manifeſtum eſſe lapſos errorem*; quod Nero anno Imperii



ſui

(a) eodem anno ambos eſſe necatos apertiſſime teſtatur Dionyſius Corinthius apud Euſeb. lib. 2. H. E. cap. 25. ut cumque eum explicare conetur Henricus Valeſius.
(b) in Chronico.
(c) in Catalog.
(d) in Chronico.
(e) hæreſ. 27. num. 6. μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου Πέτρου, καὶ Παύλου τελευτὴν τὴν ἐπὶ τῷ δωδεκάτῳ ἔτει Νέρωνος γενομένην
(f) in catal.
(g) lib. de vit., & mort. SS. novi Teſt.
(h) H. E. lib. 5. cap 8. ubi Appollonii ſcripta recenſens, ait, illum tamquam ex Veteri traditione referre Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe ne intra 12. annos Hieroſolymis excederent. Conſonat Clem. Alex. lib. 6. Strom. ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον μή τις εἴπῃ. οὐκ ἠκούσαμεν ita hunc locū reſtituit Schelſtratus optime; cū ſtea interpunctio legeretur poſt δώδεκα ἔτη
Bacc. de orig. Eccl. Hier. par. 1. cap. 3. & Blanch. omnium optime id explicant, quaſi vetitum eſſet Apoſtolis, ne extra Syriam, cui ſuberant Hieroſolimæ Epiſcopales Sedes conſtituerent, quare Antiochenæ Eccleſiæ fundatio intra illos 12. annos ſtatuitur non vero Romanæ. XXV. annos in Romana Sede Petro tribuunt Euſebius in Chron., Hieronym. in Catal. a Catalogus Liberianus, Proſper in Chronico ap. Lab.
(i) orat. de Petro & Paul.
(k) ad a. 69. num. 1.

ſui 14., & ultimo non pervenerit ad diem 29. Julii; quo die ex vetuſtiſſimis monumentis colligitur Petrum, & Paulum fuiſſe necatos: eadem ratione hos redarguit Schelſtratus; utcumque Petavius eos *(a)* excuſare conetur, quod a civilis anni primordio, non ab eo die, quo Imperium Nero cœpit numeraverint Imperii annos. Addit Schelſtratus conjecturas quaſdam de Urbis incendio anno ſuperiore, & peſte eodem anno graſſante; quæ item Pagius adducit *(b)*, qui hanc ſententiam tuetur. Eamdem vero defendit apud ipſum Paulus Pezronius; præterea Henſchenius *(c)*, Blanchinus *(d)*, Stampa *(e)*, Boſchius *(f)*. Conradus vero Janningus priorem illam de anno 14. affirmat *eruditis viris paſſim nunc abſurdam eſſe (g)*. Quamobrem in ea ſententia, quæ hoc quidem tempore communior, & probabilior habetur de tempore Apoſtolorum Martyrii, favet hic character anno 29. In aliis pleriſque ſententiis, quæ mortem CHRISTI ad poſteriores annos differunt 37. illos annos a Paſſione CHRISTI ad Apoſtolorum necem reperire non poſſumus. Hieronymus vero majorem fidem facit cum 37. annos a CHRISTI ad Apoſtolorum mortem numerat, quam cum 14. Neronis anno hanc contigiſſe aſſerit; hoc enim ab uno Euſebio mutuaſſe patet, illud vero a pervulgata tunc temporis opinione.

Favet etiam, quod de Jacobi morte traditur. Nam eam Euſebius in Chronico conſignat VII. Neronis anno ideſt æræ vulgaris 60.; idemque facit Hieronymus *(h)*, & Beda *(i)*. Jam vero cum anno primo poſt CHRISTI mortem Hieroſolymitanæ Eccleſiæ regimen ſuſceperit ſi a 60. demas annos 30. quot ejus Epiſcopatui tribuunt Hieronymus, & Beda, aliique primum poſt CHRISTI paſſionem, quando primum eſt Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præpoſitus. Quamobrem Daniel Papebrochius *(k)* hinc arbitratur ſententiam confirmari ab Henſchenio traditam de anno 29. CHRISTI paſſi. Non eſt hic prætereundum teſtimonium Auctoris lib. de mort. perſecuto., qui 25. annos numerat a CHRISTI Aſcenſione ad Neroniani Principatus initium. *Diſcipuli*, inquit, *poſt Aſcenſionem Domini per ann. 25. uſque ad Principatum Neroniani Imperii per omnes Provincias, & Ci-*

(a) lib. 11. D. T. cap. 14.
(b) ad a. 69.
(c) exercit. 4.
(d) Tom. 2. Anaſtaſ.
(e) in Faſt.
(f) in Tract. de Patriarch. Ant. loc.
(g) Tom. 5. Act. Sanct. Jun. Pag. 409.
(h) in catal.
(i) de rat. temp.
(k) in Tractat. prælimin. ad Tom. 3. Maii de Patriarch. Hieroſolymit.

*& Civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt*. Neronis initium incidit in anni ferè extremum, qui notatur Consulatu Asinii Marcelli, & Acilii Agricolæ, ideſt æræ vulgaris 54. ſubductis a 54. 25. reſultat annus 29. Huc uſque conſpirare omnia videntur ad emortualem CHRISTI annum ſignificandum æræ vulgaris 29.

Reſtat epocha omnium celeberrima, ad quam CHRISTI mortis annus ſæpe a PP. refertur, Hieroſolymitanum excidium. De hac quoque Petavius (a); ait, *favent eidem opinioni* (anni 29.) *Veteres illi PP., qui a paſſione* CHRISTI *ad excidium Hieroſolymitanum annos duos, & quadraginta computant: ut Origenes lib.4. contra Celſum (b)*. Eſt præter Origenem Clemens Alexandrinus, qui idem affirmat (c), eſt S. Hieronymus (d). Cum autem anno æræ vulgaris 70. captam eſſe Hieroſolymam conſentiant Chronologi, benè Petavius favere hos PP. aſſeruit ſententiæ, quæ mortem CHRISTI ſtatuit anno 29. Atque his Deckerius adjungit Hegeſippum, Chryſoſtomum, & non paucos alios. Atque animadvertendum eſt PP., quos ſupra laudavimus eos eſſe antiquiſſimos: præterea contra Fidei Chriſtianæ hoſtes pugnare præſertim Clementem, qui ad veritatem CHRISTI Nativitatis oſtendendam, ut ibidem ipſe profitetur tempora diligenter ſupputat, atque declarat id ſe ex antiquiſſimis monumentis facere. Quamobrem ut bene obſervavit Schelſtratus hunc 42. annorum numerum, quod eſſet celeberrimus, & pervulgatus veluti temporis index inter duas celeberrimas epochas CHRISTI interitum, & Hieroſolymæ excidium, alii quorum rationibus officiebat mutare non ſunt auſi; ſed ita interpretati ſunt, quaſi ille numerus procederet a CHRISTI prædicationis initio ad Hieroſolymam everſam. Neque id tamen fuiſſe a Majoribus traditum, & non potius CHRISTI paſſionis celebriorem annum ſignificatum, probabile eſt. Quamquam ego aliam reor fuiſſe hujuſce mutationis cauſam; quod ſcilicet Hieroſolymitani excidii, & reliqua tempora nota-

(a) lib.12. cap.9.

(b) Origenis verba ſunt τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη καὶ δύο οἶμαι ἀφ' οὗ ἐσταύρωσαν Ἰησοῦν γεγονέναι ἐπὶ τῆς Ἱεροσολύμων καθαιρέσεως.

(c) lib.1. Strom. ἀφ' οὗ δὲ ἔπαθεν ἕως τῆς καταστροφῆς Ἱερουσαλὴμ γίνεται ἔτη μβ' μῆνες γ'.

(d) in cap.1. Sophoniæ; *poſt quadraginta & duos annos Dominicæ Crucis circumdata eſt ab exercitu Hieruſalem. & conſummatio illius facta eſt cum feſtinatione, & non ſolum illius, ſed cunctis terræ Iudææ habitatoribus.*

notarentur in publicis monumentis juxta Imperatorum annos; quamobrem quadraginta duorum annorum intervallum illi computantes pervenerunt ad annum Tiberii 15., atque hunc 15. eumdem esse crediderunt, quem Lucas designaverat. Itaque in hanc delapsi sunt opinionem, ut ad CHRISTI baptismum, & initium prædicationis putaverint pertinere. Et hujus quidem sententiæ Auctores (quod supra allegati PP. non faciunt) Tiberii hunc annum 15. cum de hac re agunt, semper nominant. Eusebius in Chronico ex versione Hieronymi; *colligitur omne tempus in secundum annum Vespasiani, & novissimam eversionem Hierosolymorum a 15. Tiberii Cæsaris anno* (hęc puto verba descripta in fastis; addit Eusebius explicationem suam.) *& ab exordio Evangelicę prædicationis quadraginta duo.* Hęc ipsa verba inseruit Chronico suo (integro illi, quod Labbeus profert) (a) Prosper; hæc eadem Anonymus in Chronici fragmento MS. Bibliothecæ Vaticanæ apud Schelstratum. Similia habet Chronicon Alexandrinum. Quamobrem Schelstratus hinc validissimum argumentum elici putat ad sententiam suam, de anno 29. confirmandam. Etenim aperte favent, ut vidimus, PP. antiquiores. Eusebius cur sit deceptus (eum excripserunt totidem verbis reliqui) plane liquet. Addi potest Eusebium (si Josepho Scaligero credimus (b) non sibi constare; & in Historia Ecclesiastica (c) annos expressione μβ, sive 42.; verum injuria temporis posteriorem minorem numerum detritum Librariis errandi occasionem obtulisse, aliosque in fraudem pellexisse, probatque hoc Scaliger, quod in exemplo suo post majorem numerum lacuna extet (d). Hactenus nota una characteres multos complexi sumus: qui quidem omnes annum designant CHRISTI mortis 29.

Atque hic Authorũ consensus est mirandus magis, quod in plurimis, diversisque notis, atque epochis inter se longe dissitis reperiatur. Ille etiam numerandi modus a CHRISTI passione adeo vulgo receptus significat non de eorum ingenio hæc protulisse, sed communem opinionem eam fuisse, quam ipsi scripto significarent, & fortasse in Ecclesiasticas tabulas relatam locorum illorum,

(a) Tom. 1. Bibl. MS. pag. 17.
(b) ad an. 2044. Euseb. Chron.
(c) lib. 3. cap. 7.
(d) Sic ἀγνοοῦσιν ἂν παρασωτικὰ φωνὴν ... τῆς ... προνοίας τεσσαράκοντα ἐφ' ὅλοις ..... ἔτεσι μ(ετὰ) τὴν κ(ατὰ) τοῦ χ(ριστο)ῦ τόλμαν τὴν κατ' αὐτῶν ὄλεθρον ὑπερτιθέμενοις. desiderari vult δύσιν.

rum, in quibus ipsi versabantur. Quoniam igitur notas omnes chronologicas anni CHRISTI emortualis adduximus in medium, diligenterque quantum in nobis erat excussimus, quæ erat operis a nobis instituti prima pars, nunc alteram aggrediamur, ut scilicet notas has componentes, quem ex omnibus simul fructum decerpere possumus videamus.

## §.IX.

## *De notis omnibus Chronologicis inter se collatis.*

SUnt vero primo ab incertis seligendæ certiores: videndum est enim, quibus fidere maxime possimus; & si quæ inter se pugnant, quas repudiare ex illis, quibus auscultare potissimum debeamus. Sunt autem incertæ ex. I. quas de *Sabbato secundo primo, & die festo mediante* Harduinus attulit: etenim varie a PP., & Interpretibus, Sabbatum illud explicatur, & dies *festus medians*, diebusque pluribus aptari potest. Præterea ex Judaici anni forma, & cyclo character iste pendet; quæ sunt omnia incertissima. II., neque aliquid certius habet Olympiadum nota. Nam de Flegontis, & Africani lectione non constat, & alio ab aliis trahitur; ad annum maxime 33. a Grandamico, Natali, Ricciolio; & ad annum 29. a Pagio, Schelstrato, Gramatico. III. in numero pariter incertarum notarum collocanda 70. hebdomadum Danielis. Plurima illa habet incertitudinis capita, & præcipue a quo anno sint illæ hebdomades numerandæ: sunt quidem maxime omnium probabiles sententiæ duæ, quas opinionibus omnibus receptioribus de anno mortis CHRISTI commodare demonstravimus. Dicam nunc apertius: illa quæ vigesimum Artaxersis annum defendit si rigide nimium sumimus, ut annos completos intelligamus, nulli ex prædictis competit; quod si ad lunares annos confugiamus, favet anno 29.; si vero ad decisos, cuilibet potest aptari; idemque evenit de alia, quæ annum tuetur Artaxersis 7., si ita annorum numerum contrahamus; quod si exacte computandos illos arbitremur annum 29. aperte designat,

ſignat:quod præ cæteris oſtendit Jacobus Ayrolus.(a)Hactenus incertiores notæ. Aliæ ſunt, quæ videutur certum annum, definitumque CHRISTI mortis indicare; nimirum hæ; Conſulatus nota; annus Imperii Tiberii; præterea multæ, quæ intervallum inter CHRISTI mortem, & epocham aliquam aſſumptam metiuntur. Atque hæ inter ſe concordare omnes, & annum 29. æræ vulgaris indicare videntur. Reliquæ ſunt notæ, duæ quæ neque unum certum, ac definitum annum ſignificant, neque omnino incertum; ſed latius aliquod. ampliuſque intervallum complectuntur. Nimirum hæ duæ plenilunium, & menſis dies. Paſchale Judæorum plenilunium non ita accipiendum mathematicè, ut temporis momentum unum, aut unum dumtaxat diem deſignet; ſed poteſt ad quatriduum, ut declaravimus extendi; & menſis dies, duos permittit Martii 23., & 25. Quamobrem ſimul characteres hos duos componentes habebimus annos omnes, in quibus dies 23., aut 25. Martii intra quatriduum ante, vel poſt aſtronomicum plenilunium continetur. Itaque ex alibi notatis pleniluniis anni,in quibus collocare poſſumus ex duobus his characteribus CHRISTI Paſſionem ad ſummum ſunt hi ſeptem vulgaris æræ 26. 28. 29. 31. 34. 36. 37. Si hiſce igitur omnibus, & ſolis, quas excuſſimus characteriſticis res eſſet definienda pro demonſtrato anno 29. CHRISTI mortem contigiſſe haberi poſſet. Huncenim, & Conſulatus nota, & Tiberii annus, & cæteræ poſteriores Epochæ a morte CHRISTI deſumptæ, qui ſunt, ut vidimus ceteris certiores characteres aperte deſignat; aliorum autem nullus repugnat; nam & eclipſis a Phlegonte memorata, & Danielis hebdomadæ,& Sabbatum illud ſecundo primum optime licet incertiſſima ſint huic anno conveniunt,vigeſimã vero tertiam Martii ſi eligamus ab aſtronomico Plenilunio ultra quatriduum hoc anno non excurrit,ideoque nullus ſupereſſet de eo dubitandi locus.

Sed characteribus his alius adjungendus Feriæ VI.; neque de eo poteſt ulla ratione dubitari.Sed in nullo horum annorum Feria VI. concurrit cum illis diebus,qui intra quatriduum illud continentur. Quid ergo eſt? Contradicunt ſibi hi characteres,ut unus aliquis eorum ſit ſubmovendus? Et,quod majus eſt, character

(a) In Diſſertat. de 70. hebdomad. Danielis; in Appendice ad eamdem Diſſertat.; & in Theſibus Hebraicis Romæ propoſitis anno 1720.

rafter Feriæ ſextæ minime omnium anno convenit 29., quem diximus a certioribus notis deſignari. (a) Nam plenilunium hoc anno nobis illud ex Caſſinianis tabulis ſupputantibus prodit die Martii 18., hora poſt meridiem 7., minutis prim. 10., ſecund. 30. in meridiano Pariſienſis obſervatorii; quare erit in Meridiano Hieroſolymitano Martii die 18., hora poſt meridiem 4. minut. prim. 58. ſecund. 30. Ergo dies Martii 25., in quem hoc anno cadit Feria ſexta abeſt a plenilunio ſolidos dies ſex. Atque hoc nimirum fuit, quod in tanta veterum conſenſione ab hac ſententia ampleƈtenda recentiores deterruit; ut diligentiſſimus Michael Seneſchallus affirmet vix reperire potuiſſe duos, qui eam aſſererent, M. Antonium Cappellum, & Gerardum Voſſium. Revocarunt eam noſtra ætate viri doƈtiſſimi Henſchenius, Schelſtratus, Noriſius, Pagius, Honoratus, Grammaticus, Ayrolus. Hunc tamen impeditiſſimum locum ſummis ingeniis, atque incredibili induſtria præditi homines expedire vix potuerunt, ut a plurimis hæc opinio minime probabilis judicetur. Hēſchenius, Schelſtratus, Pagius, Honoratus diem amplexi ſunt Martii 25., & diuturnam a plenilunio aberrationem neglexerunt. Sed tantum intervallum, quod ad dies ſex integros extendatur nullus quantumvis vitioſus Cyclus, aut craſſa putandi ratio unquam concedet; neque ultra quatriduum errorem eſſe produƈtum probari ullis veterum monumentis poteſt. Grammaticus, & Ayrolus diem conſtituerunt 18. menſis ejuſdem. Verum hi quamvis plenilunium obtineant, in aliud incidunt majus fortaſſe incommodum; quod pro Paſchali plenilunio habent, quod ipſum non eſt revera Paſchale. Equinoƈtium

M

| (a) ad a. æræ vulg. 29. | | | ' | '' |
|---|---|---|---|---|
| Martii 18. hora p. m. | | 7 | 1 | 57 |
| | s. | o | ' | '' |
| Longitudo media Solis | 11 | 24 | 20 | 31 |
| Æquatio centri addit. | | 1 | 51 | 11 |
| Long. vera temp. medi. | 11 | 26 | 1 | 42 |
| Equat. temp. ' 8. '' 33 Ad. | | | | 22 |
| Longit. vera temp. ver. | 11 | 26 | 2 | 4 |
| locus oppoſ. Sol. | 5 | 26 | 2 | 4 |
| Apog. | 2 | 5 | 56 | 26 |
| An. m. | 9 | 18 | 24 | 5 |

| | | | ' | '' |
|---|---|---|---|---|
| Ad a. 29. Mar. 18 h.p.m. | | 7 | 10 | 50 |
| Long. med. Lunæ | 5 | 15 | 37 | 47 |
| 1. eq. Sol. ſub. | | | 9 | 21 |
| | 5 | 15 | 28 | 25 |
| 2. eq. Sol. ſubtr. | | | | 55 |
| | 5 | 15 | 27 | 30 |
| equat. add. | | | 33 | 49 |
| Locus Lunæ in orb. | 5 | 26 | 1 | 19 |
| Reduƈt. ad Ecl. ad. | | | | 45 |
| Locus Lunæ in Ecl. | 5 | 26 | 2 | 4 |
| Apog. | 11 | 19 | 13 | 21 |
| Diſt. ſolis Ab ap. Lun. | 0 | 6 | 45 | 43 |
| Anom med. | 6 | 6 | 9 | 9 |
| Arg. latit. | 3 | 5 | 14 | 43 |

ctium hoc codem anno æræ vulgaris 29. invenimus celebratum in meridiano Hierosolymitano die Martii 22., hora post meridiem 6. min. prim. 32. sec. 44. *(a)*. Ergo plenilunium eo die collocant, quod antevertit æquinoctium quatriduum. Et ipsi quidem id summo studio probare conantur novum illis temporibus non fuisse, ac sæpe consuevisse Hæbræos vernum æquinoctium verum, sive astronomicum in Paschæ celebratione prævertere. Verum testibus utuntur, qui non tempus illud commemorant, de quo disputatur, quando CHRISTI mors accidit; sed id quod postea est subsecutum, præsertim Hierosolyma eversa, quam eversionem excepit rituum omnium, rerumque perturbatio, ut Rabbini ipsi concedunt apud Seldenum, Langium, Bochartum *(b)*; & Christianos hoc appellare tempus, quando illud Judæis exprobrant diserte significat apud Eusebium Constantinus *(c)*. Contra vero apud eumdem Eusebium *(d)* invenies ex Philonis, Josephi, ac Musæi auctoritate probatum a priscis Judæis hoc diligentissime servari solitum, ut Pascha celebraretur, cum jam Equatorem esset sol prætergressus: atque ibi producit etiam Eusebius Agathobulos duos, & Aristobulum *(e)*. Est vero diligenter animadvertendum multo facilius posse cognosci Equinoctii tempus legitimum, quam plenilunii alicujus: sunt enim Solares motus multo, sive ad cognoscendum, sive ad supputandum faciliores, quam lunares; neque tam multis inæqualitatibus illi subjacent; & a veteribus, medii qui dicuntur, optime constituti reperiuntur. Lunares motus, quanto sint ad cognoscendum difficiles norunt, qui veterum theorias excusserunt, quarum nulla illis, & ex recentionibus vix aliquando Nevvtoniana satisfacit: quare longiores adhibendæ supputationes, & sæpius mediis motibus, quæ obtinetur longitudo corrigenda; in quibus rebus longè

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | ′ | ″ |
| (a) Ad a. 29. Mar 21. h p m. | | 8 | 37 | 8 |
| | s. | ° | ′ | ″ |
| Longit. med. sol | 11 | 28 | 21 | 4 |
| Æqu centr. addit. | | 1 | 48 | 37 |
| Locus verus t. medio | 11 | 29 | 59 | 41 |
| Æqu. temp. 7′ 48″ add. | | | | 29 |
| | 0 | 0 | 0 | 0 |
| | s. | ° | ′ | ″ |
| Apog | 2 | 8 | 26 | 27 |
| Anom. med. | 9 | 19 | 34 | 37 |

Temp. corr. An 29. Mart. 22. h. 6. 32 44
In Parisiensi Meridiano, qui est Hierosol. Orientalius hor. 2 12 0 (9 22)

[b] locis supra cit. de hoc tempore explicari potest, si quicquam facit, Canon 5. ex Apost.

(c) lib 3. vit. Const cap. 18.

[d] lib. 7. H. E. cap. 32.

(e) hos ait docuisse δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός

ge veterem antegressa est recentior Astronomia. Sed hæc missa faciamus; nam cur hæc Grammatici, & Ayroli sententia displiceat illam addidimus esse rationem præcipuam, quod CHRISTI morti diem assignet, qualem veteres Patres, atque Ecclesiastici Auctores non tradiderunt. Itaque illuc redeo: in hac sententia de anno 29. male hæc duo posse aptari plenilunium, & Feria Sexta: aliunde veteres in illo anno designando adeo conspirant: an vero illos latuit, quod nos videmus; aut facile patiebantur, quod nos hoc temporis tantopere commovet? Hæc cum sæpe mecum animo reputarem, venit in mentem ejus, quod e Petavio supra retulimus, Chronologos sese in dumeta quædam ipsos compingere, dum veluti certa ea statuunt, quæ sunt incertissima. An vero id in tanta rerum difficultate evenit? At qua nimirum ratione? Id animo, quod objectum est explicabo brevi. Nihil obstaret sententiæ de anno 29., si die 23. Martii affirmare possemus fuisse Feriam VI. Etenim diem habemus mortis CHRISTI, qui a veteri Ecclesia Græca universa, & a Latinorum doctissimis traditur; præterea Pascha figitur illi diei, qui non ultra quatriduum excurrit post diem a plenilunio Astronomico demonstratum. Est enim Lunæ 15., dies Martii 19.: quare si ad 23. transferimus 15., quo die CHRISTUS est mortuus, quatriduum non excedemus: atque hoc supra, & veteres Cyclos, & probatissimos Auctores permittere vidimus. Cur ergo Martii die 23. Feriam VI. non ponimus? Hoc vero prohibent Computistæ omnes, qui eum annum ajunt fuisse Cycli solaris X., adeoque habuisse literam Dominicalem B: ex quo infertur Feriam IV., non VI. incidisse in Martii 23. Sed unde illi hoc colligunt? Ex eo feriarum ordine, qui nunc servatur, atque a nostra ætate ascendentes ad superiores facile id computando inveniunt. Quid si vulgares isti Computistæ dum hoc faciunt; dum perpetuum a nostris temporibus ad retroacta sæcula feriarum ordinem, numquam interruptum, nunquam perturbatum; apud omnes populos eumdem omnino observatum ponunt, quod supra verebamur, certum pro incerto venditant, & coniiciunt nos in eas salebras unde, ut Petavius ajebat, emergere omnino sine generoso aliquo facinore non possumus? Istud igitur facinus tentandum aliquando est, atque audendum aliquid, quo evolvamus nos, ex his angustiis. Cæcilius, & Lactantius viri doctissimi dum

CHRISTUM asserunt die 23. Martii mortuum, atque id, Geminis Coss. rimulam quamdam ad indagandam veritatem ostendunt. Itaque illis Auctoribus affirmo, nequaquam esse certum, quod pro certo, & explorato omnes hactenus habuerunt Feriarum ordinem ita semper fuisse apud omnesGentes constitutum, ut vulgares, quas Computistæ tradunt regulas adhibere possimus ad quamvis Feriam quocumque loco, aut tempore celebratam investigandam.

## §.X.

## *De vario Feriarum ordine.*

HOC ut planius explicemus primo concedimus Grammatico post Julianam correctionem ab Augusto restitutam, nequaquam anni rationem ob præproperas intercalationes fuisse turbatam, quod Mariana volebat. Deinde dicimus, alia esse capita duo, ob quæ potuerunt antiquitus Feriæ ita constitui, ut per vulgares regulas ad illas interclusus sit ascensus a nostris. Primum; si perpetuo servatus non fuit idem ordo feriarum, qui nunc servatur, sed interruptus aliquando, atque distractus. Alterum, si Feriarum caput, unde numerarentur ordine hebdomadæ dies, non in eumdem diem incidit Romæ, atque apud Hebræos, Græcos, reliquasque gentes: utrumque dico fieri potuisse, neque ulla ratione contrarium demonstrari posse. Atque hoc ad sententiam nostram, quæ diem Martii 23. componit cum Feria VI. satis esse videtur. Etenim primo si contrarium non constat; deinde plurimi Veterum viri solertissimi, ut iis puerilis error in Feriarum putatione affingi non debeat, CHRISTUM mortuum asseruerunt die eo, in quem non incidit Feria VI. quid arbitrari debemus? Scripturarum auctoritatem ignorasse, aut illi contradixisse, & non illud potius idem, quod nos suspicamur, de feriarum ordine vidisse? Veniunt in hunc numerum Cæcilius, sive Auctor de mortibus Persecutorum, & Lactantius, quos supra diximus mortem CHRISTI collocasse Geminis Coss. die Martii 23. Præterea Epiphanius; etenim illam ipse consignat Consula-

sulatui Vinicii, ac Longini Cassii *(a)*, qui esset annus æræ vulgaris 30. juxta vulgares fastos; sed cum ille Fusium, & Rubellium Consules a Geminis distinxerit, ut alibi explicavimus, atque illos proxime statuat post hos, ac deinde Longinum, & Cassium; aliquibus notare creditur annum 31., sed sive annum 30., sive insequentem designet, nunquam his annis 20. Martii, qui est illi *(b)* CHRISTI e mortualis dies, incidit in Feriam VI. Est præter Epiphanium Auctor Chronici Alexandrini, qui CHRISTUM passum vult Persio, & Vitellio Coss. anno æræ vulgaris 34. die 23. Martii: hoc die Feriam VI. utcumque eam longiori probatione afferat assequi non potest *(c)*. Nec vero eam assequuntur Cassiodorus in fastis. Isidorus de SS., qui CHRISTI mortem collocant anno 31. VIII. Kal. April. Clemens Alexandrinus narrat *(d)* de CHRISTI Passione quosdam subtilius differentes eam conjecisse in annum Tiberii 16., die 25. Phamenoth; alios vero 25. Pharmuthi; alios Pharmuthi 19. Jam vero necesse est de feriarum ordine idem, quod nos illos existimasse, si alii 25. alii 19.. ejusdem mensis CHRISTUM mortuum affirmabant. Quod si comparationem mensium, a Syncello institutam *(e)* sequamur, quam vir eruditissimus Scipio Maffejus *(f)* laudat, & a qua minime abhorret Norisius, qui *(g)* saltem ętate Josephi vult Pharmuthi initium incurrisse in 27. Martii; neque anno 29., neque anno 30.; quando videtur posse statui annus Tiberii 16., Feriam VI. inveniemus, aut 14. Aprilis, aut Aprilis die 20., quid ergo est? Damnabimus hos omnes errores adeo crassi, & ad puerorum Scholam amandabimus ad feriarum putationem addiscendam? Non opinor. Quamobrem sequitur existimasse illos feriarum ordinem olim non ita processisse, ut æstimare eum ex nostris temporibus possimus.

Quamquam hæc doctissimorum hominum auctoritas satis esse videtur ad conficiendum id, quod volumus, proferemus tamen

(a) hæres. 51. n. 29. μετ' ἐκείνην γὰρ τὴν ὑπατείαν ἐν τῷ β΄ εἰκοστῷ ἔτει αὐτοῦ τῇ μαινομένῃ ἄλλη ὑπατεία γέγονε λεγομένη τῶν δύο Γεμινῶν. εἶτα ἄλλη ὑπατεία Ῥούφου. καὶ Ῥεβελλίωνος. καὶ οὕτως μεταξὺ οὔσης τῆς ὑπατείας τῆς μετὰ τὴν ὑπατείαν Ῥουβελλίωνος ἥτις ὕστερον ἦλθεν Οὐινικίου καλουμένη καὶ Λογγίνου Κασσίου πάσχει ὁ Σωτὴρ ἐν τῇ πρὸ ιγ΄ καλανδῶν Ἀπριλλίων.

(b) loc. cit., & num 26.

(c) pag 222 edit. Paris. ex recens. Ducangii.

(d) 1. strom.

(e) in Chronogr. pag. 7. ex recens. Goarii.

(f) in antiqu. Gall. Epist. 8.

(g) dissert. 1. de anno Maced cap. 3.

[illegible] rationes, ſeu conjecturas quaſdam, quibus videmur utrumque, vel alterutrum poſſe aſſerere; & interrumpi olim ſolitum feriarum ordinem; & diverſum illum fuiſſe a cyclico, & apud Hebræos, Græcos alioſq; varium. Quod primum pertinet; libenter illud ex doctiſſimis hominibus, & antiquitatis ſcientibus quærerem; biſſextili anno, qui dies duo eodem nomine vocabantur VI. Kalendas, utrum appellarentur etiam eodem feriæ nomine? Nam ſcriptum reperio, biduum illud omnino habitum pro uno die, neque nomen habuiſſe ullum, quo unus dies ab altero ſecerneretur. Celſus (a) *cum Biſſextus*, ait, *Kalendis eſt, nihil refert priore, an poſteriore die quis natus ſit; nam id biduum pro uno die habetur*. Præterea ſi nomen id, quod erat uſitatiſſimum, & vulgo uſurpabatur ab omnibus utrique diei eſſe voluerunt, cur idem in feriarum nominibus non facerent, quæ erant minus uſitata? Nonne ſatius exiſtimabitur hunc dies nominandi modum eodem pacto, atque alium uſurpaſſe? Auget ſuſpicionem Dio (b), qui affirmat morem hunc adhibendi hebdomadas ab Ægyptiis ſerius accepiſſe Romanos. Ægyptii autem, ut notum eſt, & Petavio, Marſhamo, cæteriſque, anno utebantur perpetuo 365. dierum. Itaque cyclum habebant, qui indicabat poſt octo annos hebdomadæ dies ad idem anni caput redire. Romanos non puto novum cyclum commentos eſſe, neque illius extat veſtigium ullum; itaque utebantur Ægyptiorum cyclo: atqui uti eo aliter non poterant, quam ſi intercalarem diem eodem Feriæ nomine nuncuparent, quo præcedentem. Sed conjecturis nihil hic opus eſſe arbitror, quando aliqua extant antiqua Romanorum Kalendaria, quæ id non in hebdomadæ feriis, ſed in Nundinalibus diebus aperte ſignificare videntur. In his igitur Kalendariis cyclus eſt quidam adſcriptus octo literarum: cum præter unum Blanchinum cæteri viri eruditi Joſephus Scaliger, Langius, Puteanus &c. putarunt eſſe cyclum nundinalem, qui ruſticis præſertim hominibus indicaret, in quem menſis, vel anni diem, dies nundinales inciderent. Si hoc eſt, evidenter demonſtratur intercalarem diem anno Biſſexto velut alterius præcedentis partem eſſe reputatum. Ut enim nos, propterea quod addititium illum a præcedenti diſtinguimus cyclo utimur non ſeptenario, ſed multo longiore; neque ad idem caput ſin-

(a) cig.28.l.98.

(b) lib. 36.

singulas ferias revocamus, nisi postquam anni transierunt quater septem, sive 28.; ita nundinales illi dies, non post annos octo; sed post quater octo, sive 32. adhuc unde processerant reverti debuissent.

Venio ad alterum eorum, quæ proposui demonstrandum, non eumdem fuisse apud omnes gentes feriarum ordinem. Hoc me facile hominibus subacto ingenio persuasurum puto. Nationes omnes, gentesque ad tempus computandum utebantur annis, mensibus utebantur; tamen diversa planè ratione comperimus annos, & menses adhibuisse, ut una aliqua gens cum altera vix consentiret. Si ergo in eadem temporis dimetiendi consuetudine diversa plane annorum forma fuit, diversa mensium, atque eorum initium, & finis diversus, etiam inter eos populos, qui menses constituebant ex eodem dierum numero; immo & dierum ipsorum initium apud varias nationes diversum, alii enim a media nocte, alii a solis ortu, alii a meridie, a vespere alii diem exordiebantur; arbitrabimur mirum aliquid, & portenti simile dicere eum, qui affirmet, in hebdomadis initio constituendo, omnes, qui eo temporis partiendi modo utebantur nequaquam inter se consensisse, ac conspirasse: mirum potius si in tanta populorum dissimilitudine id evenisset. Etenim quæ fuerunt illis diversorum annorum, ac mensium constituendorum causæ, hic quoque omnes interfuisse reperiemus: sive enim cum patrios mores unaquæque gens sequeretur casu diversitas ista est inducta, eadem ut in annis, in feriis etiam valere potuit: sive consilio hoc fecerunt, ut commoditati servirent regionum suarum; non minus in annorum, & mensium forma, quam feriarum ordine erat discrepantia instituenda: non enim est credibile in tanta rituum, institutorumque diversitate eumdem omnibus æque commodissimum accidisse. Sed omnium, puto, gravissima illa causa fuit; quod unaquæque natio sibi sufficere, neque aliarum sapientia indigere, aut illis ullo modo subesse videri volebat: qua quidem ratione factum est, ut commodiore subinde instituto aliquo invento, vel antiquo emendato (ut proxime ante nostram ætatem de Kalendario contigit apud Eterodoxos) aliqui, ne cedere aliis viderentur, illud repudiarent. Utcumque sit, in tanta numerandi annos, menses, dies, epocharum, atque ærarum constituendarum, ut Chro-

Chronologi nimirum norunt, diversitate; erit maxime mirum ominibus temporibus, apud omnes nationes, cujuscumque linguæ, aut instituti homines in Feriarum ordine consensisse; neque eorum aliquem de illo semel commutando, vel religionum suarum, & institutorum causa, vel innata varietatis libidine cogitasse. Id, fateor, inducere in animum meum nunquam potui, & provalidissima ratione, atque argumento fuit, si cætera deessent omnia: sed non desunt, sive argumenta, sive conjecturæ, quæ idem omnino, & a Feriis cyclicis aberrasse ostendunt. Ante tamen, quam hæc proferam exoratos omnes volo, ut antiquas lectiones tueri possim, neque statim, ac profero aliquid, quod rationibus quorumdam hominum non congruat inclametur, corruptum esse scriptoris locum, librarios in eo describendo errasse, corrigendum, atque emendandum. Si ita fiat, frustra erit istarum rerum investigatio omnis, atque incassum susceptus quicumque labor.

Igitur primo Josephus *(a)* Hierosolymæ Urbem captam esse scribit Vespasiani anno secundo, die mensis Gorpiæi 8.; Dio vero asserit captam *(b)* die Saturni. Annus Vespasiani secundus est annus æræ vulgaris 70., ut consentiunt melioris notæ omnes chronologi. Petavius in prima editione operis de Doctrina Temporum (forte cum veritatis vestigia persecutus Feriç characterem non adverterat) diem illum Gorpiçi 8. arbitratur incidisse in 31. Augusti *(c)*: at is dies est non Saturni, sed Veneris *(d)*. Cardinalis Norisius *(e)* Gorpiæum probat cepisse die 26. Augusti; cum vero neque illi in Sabbatum incidit, sed in Dominicam, errasse, ait, Dionem, qui scripserit Sabbatum fuisse illum diem. Sed hic etiam oramus, salva sit Historici diligentissimi fides, si illi solum obstat ordo cyclicus Hæbraico non conveniens. Bollandus *(f)*, & Ruinartius *(g)* Acta

(a) lib. 7. de Bell. cap. 18. ἑάλω μὲν οὕτως ἱεροσόλυμα ἔτει δευτέρῳ τῆς Οὐεσπασιανῦ ἡγεμονίας γορπιαίυ μηνός ὀγδόῃ.

(b) lib. 66. οὕτω τὰ ἱεροσόλυμα ἐν τῇ τῦ κρόνυ ἡμέρᾳ ἣν μάλιστα ἔτι καὶ νῦν σέβυσιν ἐξώλετο.

(c) lib. 13.

(d) nam Cycl. Sol. XI. lit. Dom. A.

(e) Dissert. 2. de ann. Maced. cap. 3.

(f) ad diem 1 Febr.

(g) in Act. sincer. In Codice Bolland. legitur; *hæc acta sunt Julio Asiæ Proconsule, Proclo, & Quintilliano Magistratum gerentibus, Consule III. Messio Quinto Trajano, & Decio Grato II, Trajano Decio Augusto ante IV Id. Martias more Romanorum. Asiæ autem more septimi mensis undecimo die Sabbati hora decima* in Codice Trevirensi ap. eumdem Bollandum, *Acta sunt hæc Proconsule Julio Proculo, & Quintilliano C. Messio Quinto Trajano Decio, Vitio Grato, ut Romani dicunt IV. Id. Martii, & ut Asiani dicunt mense VI die Sabbati, hora* 10 Codex Colbertinus apud Ruinartium habet; *Acta sunt hæc sub Proconsule Julio Proculo, & Quintilliano Consule Imperatore Gajo Messio Quin-*

Acta proferunt S. Pionii Martyris, in quibus habetur nota anni, quo Martyr occubuit: est autem hæc; *IV. Id. Martii die sabbati, vigente Decii Imperatoris persecutione*. Quo anno hoc Decii contigerit illi dubitant; anno 251. vult Bollandus, Ruinartius anno 250. Nobis divagari latius placet, & permittere, ut quivis annus Decii Imperii eligatur. Imperavit Decius (ut præ cæteris Bandurius (a) statuit auctoritate veterum scriptorum, atque monumentorum) annos duos, mensesque insuper sex; obiitque mense Novembri exeunte, aut ineunte Decembri anni 251., quare ejus Imperium in tres annos 249., 250., 251. cadit: atqui in nullo horum accidit, ut in IV. Id., sive 12. Martii incurrat Sabbatum; sed anno 249. fuit Feria II., anno insequenti Fer. III., Fer. IV. anno 251. (b). Dicere autem cum Norisio Ferias illas aliena manu infartas, merum effugium est, quod, ut præcluderetur antea postulavimus.

In Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi, cujus maximam partem Eusebius inseruit Historiæ suæ; supplementa vero Henricus Valesius in animadversionibus ad Eusebium; denique integram repræsentarunt viri doctissimi Usserius, Cotelerius, Ruinartius, dicitur Martyrium ipsum subiisse VII. Kal. Maii Sabbato magno (c). Chronicon Alexandrinum habet VII. Kal. April. (d), quid sit Sabbatum istud magnum mihi profecto videtur non posse revocari in dubium; utcumque id Valesius ad diem alium præter Sabbatum conetur pertrahere: etenim cum simplex narratio ea sit, quam epistola continet, neque aliud velit his verbis, quam assignare certum anni diem, nullum opinor, declarat alium diem, quam eum, qui hoc nomine antiquissimis temporibus vulgo appellabatur, dicebaturque *Sabbatum magnum*. Id vero illud fuisse, quod Pascha præcedit, & nunc majoris Hebdomadæ, sive Sanctum dicitur;

N.

*lio, Traiano, Decio, Victo Grato, & Romani dicunt IV. Idus Martii, & ut Asiani dicunt mense VI. die Sabbati, hora 10.* Codex de Noailles; *Acta sunt hæc sub Proconsule Julio Proculo, & Quintilliano Gajo Messio Quinto Traiano Decio Vittistrato IV. Id. Martii, die Sabbati hora 10.* Ruinartius monet lectionem omnium optimam esse Colbertinam. Quæ variæ Lectissimorum manoscriptorum lectiones prorsus in Feriæ adnotatione consentientes, & Chronicon, etiam Alexand. eandem feriam habens omnem adimunt suspicionem eam aliena mano insertam fuisse, ut Norisius nullo taste scripsit.

(a) Tom. 1. numm. Imper.

(b) ann. 249. habet cycl. sol. VI. lit. Dom. G, 250. Cycl. VII lit. Dom. F., 251. Cycl. VIII. lit. E.

(c) μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων σαββάτῳ μεγάλῳ ὥρᾳ ὀγδόῃ.

(d) πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ ὥρᾳ η.

citur; liquet ex Homilia Chryſoſtomi *(a)*, in qua id ipſum quærit; cur una ex Hebdomadis *magna* vocetur; atque ibidem hoc ipſe ſtatuit; atque addit: ut hæc Hebdomada caput eſt cæterarum, ita hujus eſſe caput Sabbatum magnum *(b)*. Ita pariter eam Hebdomadam nominatam invenimus in conſtitutionibus Apoſtolicis *(c)*, in quem locum Cotelerius; *Hebdomas*, inquit, *paſſionis appellatur magna, major, authentica, ſancta, aurea, pœnoſa, & ſimpliciter Hebdomas*. Hujus vero appellationis antiquiſſimum eſſe uſum a primis Apoſtolorum temporibus teſtatur Epiphanius *(d)*. Cum ergo conſtet Smyrnenſes nomine illo magni Sabbati, Sabbatum, quod Paſcha præcedit indicare; excluditur lectio Valeſii, qui contendit pro VII. Kal. Maii reponendum VII. Kal. Martii. Hæc de die; de anno Martyrii Polycarpi non minor eſt controverſia. Plerique Euſebii auctoritate ſtatuunt collocandum anno 167., vel proximis 166., 168. Anno 166. *(e)* dies VII. Kal. April. incidit in Feriam III., die VII. Kal. Maii in Feriam V. Anno 167. primus dies ex nominatis in Feriam IV. alter in Feriam VI. *(f)* *(g)*. Anno 168. 26. Martii eſt Feria VI.; 25. Maii dies Dominicus. Ad rem noſtram non attinet, quis ex annis illis eligendus videatur definire; cũ peræque in omnibus Feria inveniatur a Sabbato remota; nec vero audemus judicium inſtituere Uſſerium inter, Pearſonium, Valeſium, Blanchinum, Ruinartium. Si quis tamen eſſet eligendus; & placeret Uſſerii, atque Bollandi lectio, quam Chronicon Alexandrinum, etiam diximus exhibere VII. Kal. April., Plenilunium anno 167. invenitur die 23. Martii; quare potuit celebrari Paſcha die 26., hiſque videtur annus omnium aptiſſimus; ſed neceſſario dicendum eſt, ut ſupra explicavimus Smyrnenſes Ferias a cyclicis noſtris fuiſſe longe diverſas. Si lectio alia vulgata magis placet VII. Kal. Maii res eſt difficilior. Nam primo egredi hos annos oportet, quos antea ſtatuimus; neque opportuniorem reperiemus a. 170., quando Plenilunium medium invenitur Martii die 20., & tunc quidem ponere oportet Plenilunium cyclicũ exhibitũ die 22., quod

(a) Tom. 5. oper. ex recenſ. Montfauc. pag. 525 titulus eſt homiliæ τίνος χάριν καλεῖται μεγάλη ἑβδομάς.

(b) τούτης κεφαλὴ τὸ σάββατον τὸ μέγα.

(c) lib. 8. cap. 33.

(d) hæreſ. 70. num. 12.

(e) Cyclus Sol. VII. lit. Dom. F.

(f) Cycl. Sol. VIII. lit. E.

(g) Cycl. IX. lit. Dom. D. C.

quod equinoctium præcedere exiſtimaretur, habitum non Paſchale; itaque aliud expectatum: inſuper quartadecimam Lunationis hujus incidiſſe in diem Dominicam; tunc enim, ut Petavius docet *(a)*, in vetuſtiſſimis, probatiſſimiſque Eccleſiis Paſchalis non habebatur ille dies, ſed poſtridie Xerophagia inchoabatur; fuiſſet autem quartadecima dies Aprilis 19.; quamobrem alia Dominica 26. fuiſſet Paſcha celebratum. Atqui totum hoc poſtulat ut anno 170., dies 19., & 26. Aprilis in Dominicam incurrerit, quod juxta vulgarem Feriarum ordinem non obtinetur *(b)*. Etenim cyclicæ rationes exhibent diem Dominicum 16., & 23. Quamobrem quocumque te vertas diverſitatis hujus veſtigia occurrunt. Ruinartius inſpectis omnibus probabiliorem cenſuit Chronici Paſchalis lectionem: annum vero elegit 166., atque hanc ſententiam Blanchinus laudat; nec poteſt improbari; & ſi tardius videtur Paſcha eo anno occurrere. Ut enim Sollerius *(c)* recte docet, & ex controverſiis Sæculo ſecundo exortis conſtat; non ita apte res primis Sæculis in Eccleſiis omnibus circa Paſchæ celebrationem erant conſtitutæ, ut a legitimo tempore aliquantulum non aberrarent: ſi hoc eſt Sabbatum, quod Smyrnenſis Eccleſia commemorat, incidit, ut diximus in Feriam V., ita ut biduum videantur cyclicæ Feriæ Smyrnenſes anteceſſiſſe.

Apud eumdem Ruinartium, & Bollandum ad diem 21 Januarii leguntur acta S. Fructuoſi Martyris, quorum hoc eſt initium: *Valeriano, & Gallieno Imperatoribus Emiliano, & Baſſo Coſs. decimaſeptima Kalendas Februarii die Dominico compræhenſus eſt Fructuoſus Epiſcopus*; & infra: *& fecerunt in carcere dies ſex, & producti ſunt XII. Kal. Februarii Feria VI.*, optimè inter ſe loca hæc duo conveniunt; ut opponi non poſſit, quod ſæpe facere conſueverunt, librarii error. Præterea diligentiſſimè adnotatur annus Æmiliani, & Baſſi Conſulatus: qui fuit annus æræ vulgaris 259. At hoc anno *(d)* juxta cyclicas rationes 21. Januarii incurrit in Feriam VI., qui hic dicitur eſſe dies Dominicus: ergo rurſum cyclicæ feriæ biduo prævertunt Ferias in Actis antiquitus adnotatas, & quod in ſententia noſtra de die emortuali CHRISTI accideret, quæ in cyclari ordine Feria invenitur eſſe IIII., erat apud eas gentes VI.

N 2 Hujus

[a] in Epiph. ad hær. 70. num. 11.
(b) etenim eſſet Cycl. Sol. XI. lit. Dom. A.
(c) In tract. de Patr. Alex. Tom. 5. Jun.
(d) Cycl. Sol. XVI. lit. Dom. B.

Hujus varietatis feriarum vestigium aliquod videtur hactenus retineri in Ecclesia Græca. Nam ut Leo Allatius scribit *(a)*; Dominicus dies Latinis primus est, & qui post illum subsequitur dies Lunæ secundus; hinc, & Feria secunda, & dies Martii tertius, Feria tertia, & sic de aliis: Feriam enim primam Dominicam scilicet omnes respiciunt, quam præeuntem sequuntur; & tota illa hebdomas ab illo eodem Dominico sibi nomen sumit. At non ita apud Græcos: apud eos pergit Allatius, aliter fit: hebdomas namque à subsequente Dominico, tamquam termino nomen, & numerum habet. Itaque apud Græcos est septimus ordine dies, qui est apud Latinos primus. Unde autem hoc profectum putemus, nisi ex antiquo Feriarum ordine, qui esset à Romano diversus.

Atque hactenus argumēta quędam, conjecturasq; pro Feriarum ordine diverso apud diversas gentes exposuimus. Addas, quod supra diximus, rem spectata ejus natura minime miram, aut incredibilem videri, immò potius credi vix posse aliter accidisse; ut omnes omnino Urbes, omnes Populi, omnes Nationes locis dissitæ, institutis inter se, & moribus contrariæ, omnibus temporibus, ac sæculis in uno Feriarum ordine retinendo consentirent; recusabimus id amplecti, quod Clarissimos scriptores puerili errore liberat; quod lectissimorum atque antiquissimorum codicum fidem defendit; quod sententiam celeberrimam, communissimamque tuetur? Nam quid est, quod ab eo amplectendo deterreat? Num quod in Evangelio dicitur fer. VI. CHRISTUM mortuum? Atqui eodem loco hora quoque sexta fuisse perhibetur: numquid asserere debemus Romæ tunc temporis, aut in Europa universa, Africa, Asia, America horam sextam fuisse. Et cum Evangelium dicat tenebras factas esse super universam terram ab hora sexta, usque ad horā nonam, num intelligi debet id factum etiam apud Populos Hierosolyme Antipodas, qui tunc media in nocte versabantur. Ut ergo inepte faceret, qui contenderet tunc, cum CHRISTUS est Cruci affixus horam sextam Romæ fuisse, quod VI. hora crucifixum Evangelista diceret. Idem est de Feria existimandum, quam quidem fide divina certum profitemur fuisse apud Judæos Hierosolymis sextam, ut Evangelistæ tradunt. At pernegamus eas ferias cum Cyclicis nostris convenire, quas Evangelistæ

(a) In Differt. de Dominicis, & Hebdomadibus recentiorum Græcorum.

listæ nullo modo appellant. Obiiciet præterea aliquis; hanc Cyclicis feriis discrepantiam nequaquam semper eamdem reperiri: præterea posse multa proferri exempla, in quibus feriæ à vetustissimis scriptoribus descriptæ his, quas cycli ope obtinemus probè conveniunt. Huic ita respondemus: primo; quod multa reperiantur hujusmodi exempla, in quibus Cyclicis nostris antiquorum feriæ respondeant, hominibus multarum literarum negare non ausim: possunt enim multa monumenta inspexisse mihi incognita; ego ingenue fateor, monumenta in quibus annus, ac dies mensis, & Feria esset adscripta sedulo conquisivisse: multa ex his reperisse, quæ optime feriam cum Cyclica convenientem demonstrent: verum ea inferiorum ætatum (a); antiquiora, quæ invenire potui penitus discordare, ut ex supra adductis locis constat. Itaque res primo admirationi fuit: deinde in hanc sententiam adduxit, ut arbitrarer antiquissimis temporibus alium fuisse apud alias gentes feriarum ordinem; deinde cum res Ecclesiasticæ, præcipuè, quæ ad celebrationem Paschatis, ad quam feriarum necessaria est animadversio, pertinent majori cura, ac diligentia constituerentur, Feriarum concordiam, vel edictis sancitam, vel per se paulatim invaluisse. Quod vero opponebatur non eamdem semper in illis discrepantiam apparere; facit id alius apud alias gentes inductus ordo feriarum. Ut enim diversam annorum, & mensium formam, sive initium, commoditatis gratia, aut

(a) Inscriptio ap. Fabrettum pag. 577.
NATV SEVERI NOMINE PASCASIVS
DIES PASCALES PRID
DIE IOBIS FL CONSTANTINO
ET RVFO VV CC CONSS.
convenit anno 457. Cyclo Solari XVIII., litera Dominicali F
Muratorius Tom. 1. Thes. pag. 198.
DEPOSITA CONSTANTIA VI. KA
L. IVLIAS HONORIO AVG VI.
CONSVLE DIE DOMINI
CA
indicatur an. 404. Cyclo Sol. XXI. litera Dominicali. C. B.
Boldettus lib 1. cap. 19 de Cœmet.
PVER NATVS
DIVO IOVIANO AVG. ET
VARRONIANO COSS
ORA NOCTIS IIII.
INVXIT VIII. IDVS MADIAS
DIE SATVRNIS.
significat annum 364. Cycl. Sol IX litera Dom. D. C. Hac antiquiorem inscriptionem, in qua feria cyclicis feriis congrueret nullam inveni; posteriores his multas, ut quam Baronius commemorat a. 587., & ibi Pagius, aliasque omitto.
Explicatu difficilis illa est, quam exhibet Gruterus pag. MLIII
CONSVLATV. M. F. STILICONIS
SECVNDO CC DEPOSITVS PVER
HELIAS ARGENTARIVS SEPTVMV
KAL. NOBEMBRES DIE BENERIS.
Scaliger, & Petavius intelligunt de secundo Stiliconis Consulatu, qui incidit in annum 405 cyclo sol. XXII lit. Dom. A. fuisset ergo 26. Octobr. Feria V, non VI. Sed alii putant SECVNDO referri non ad CONSVLATV, sed ad subsequentes com[m]end[at]as notas C. C.; quas alii explicant *secundo Comes clarissimus*; ali[i] *Secundo Curatoris Civium*; vel *Correctoris*, vel *Consularis Provinciarum*, ut videre est ap. Antonium Lupi in Epitaph. Severæ M[artyris] in omni antiquitate consultissimus Alexand. Leslæo explicat *Secundo Cubiculo*, vel *Secundo Cameterii Cubiculo*. Hi indicatum putant Consulatum Stiliconis 1. an 400. cycl. sol. XVII., lit. Dom. A. G.

aut libidine statuerunt, ita, & feriarum caput. Præterea sicuti de Romanis diximus incertum esse an. bissextili anno eodem Feriæ nomine binos dies appellarent, quare ordo Feriarum identidem interrumperetur; ita simile quidpiam de aliarum nationum moribus dici, & systemata multa excogitari possunt, in quibus illud etiam in ejusdem Urbis moribus eveniret, ut interdum dissiderent binæ feriarum series, interdum convenirent. Quid enim, si singulis annis, ut dierum in anno numerum a capite revocabant, ita, & nationes aliquæ ferias? Quid si dies essent, qui eodem feriæ nomine insignirentur? In re adeo obscura, nec explicata scriptorum laboribus dici multa, atque excogitari possunt, quæ, & probare arduum, & contrariis adductis argumentis refellere difficillimum. Verum ad peculiaria hæc descendere nolumus; & cum videamus illud sæpe contingere, ut de re ipsa constet, de rei modo dubitetur; ita hic dumtaxat asserere contenti sumus inter diversas nationes diversum extitisse feriarum ordinem.

Quod si præterea discrepantia hæc inter Hæbraicas, & Cyclicas Ferias tempore CHRISTI mortis, ut Patrum auctoritate, veterumque monumentorum supra sancivimus, ponitur esse bidui, explicatur facile, quod ceteroquin difficillimam habet investigationem. Invenitur enim antiquissimus Ecclesiæ mos Feriam IV. perinde, ac VI. dedicandi Passioni Dominicæ. Edmundus Martene *(a)* refert in aliquibus Ecclesiis Feria IV. Majoris Hebdomadæ easdem orationes adhiberi consuevisse, quæ Feria VI. Parasceves adhibebantur; atque eum morem diu retinuisse Ecclesias nonnullas Gallicanas præsertim Viennensem, & Lingonensem. Sed in Ecclesia Romana idem quoque factum fuisse patet ex Sacramentario S. Gregorii *(b)*, & ex ordine Romano, de quo Amalarius loquens de IV. Feria *(c)*; *intimat supradictus libellus ex Romana consuetudine debere eodem die ante publicum officium orationes, quas solemus in VI. Feria agere, recitari*. Alcuinus quoque *(d)*; *dicit orationes solemnes, sicut in VI. Feria*. Possum huc arcessere consuetudinem stationes agendi Feria IV., & VI., & jejunia illa stationalia, de quibus Petavius ad Epiphanium *(e)*, Albaspineus in Observationibus *(f)*, Thomassinus de jejunio

(a) de antiq. disc. in Div. Off. cap. 21.
(b) pag. 62. Tom. 3. oper. edit. Paris. 1705.
(c) lib. 1. cap. 1.
(d) lib. de Div. Offic.
(e) in expos. fid.
(f) lib. 1. obs. 16.

nio *(a)*, Card. Cozza *(b)*, Joannes Fileiacus *(c)*, & rerum Ecclesiasticarum tractatores passim. Græci, ut observavit etiam Gretserus *(d)* utramque Feriam IV., & VI. Cruci dedicatam habent. Harum consuetudinum, præsertim vero jejunii IV. Feriæ causam inquisivere multi. Atque Epiphanius quidem *(e)* hanc affert; quod Feria IV. captus sit CHRISTUS. Verum id ex Evangelio aperte refutatur; improbaturque merito ab Auctore responsionum ad quæstiones, quæ inter Justini opera circumferuntur *(f)*. Augustinus *(g)*, & Augustinum secuti Theophilactus, Alcuinus, aliique multi hanc causam afferт, quod illa die Dominicæ necis consilium inivérint Judæi. Id, puto, Augustinus ab Auctore Apostolicarum Constitutionum hausit *(h)*. Verum neque factum eo die fuisse certo constat; atque id sæpius est a Judæis, aliisque diebus omnibus factum; & (pace tantorum hominum dictum sit) ad tam solemnem, diuturnamque consuetudinem explicandam levius, quoddam omnino videtur. Quid quod Clemens Alexandrinus reconditiorem esse causam significat id recensens inter ea, quæ vir doctus novit, cum sint ignota cæteris, atque *ænigma* vocat *(i)*. Quin igitur ænigma istud sic dissolvamus; Apostolos, atque antiquissimis temporibus Christianos, quo tempore in Judæa degebant Feria apud eos VI. jejunium servare, & recolere memoriam Dominicæ Passionis consuevisse. Cum vero in regiones alias, Romamque venissent, atque eumdem ipsi feriarum ordinem computarent idemque servarent; Feria vero ibi esset ordine non VI., sed IV.; quartam quoque cœpisse CHRISTI Passioni, & Morti sacram haberi: quod postea illi ad unitatem, concordiamque fovendam ubique fieri voluerunt. Sed hoc totum conjecturæ cujusdam loco habeatur.

Ut autem concludamus tandem illud præstitisse arbitramur, cujus causa hæc nova in ferias inquisitio suscepta est. Nimirum dici tuto posse 23. Mart. an. 29. Fer. VI. apud Judæos fuisse licet IV. vulgari cyclo deprĕhĕdatur; ideoq; nihil impedire quominus eo die CHRISTUS mortuus sit, & Pascha Judæi celebraverint qui cum a Plenilunio non ultra quatriduum distet, optime cum Paschatis rationibus a Judæis initis, ut supra demonstravimus

(a) lib 2. (b) Tract. de Jej. par 2. art. 13.
(c) de Quadrages. Christian.
(d) lib. 1. de Cruc. cap. 68.
(e) in expos. fid.
(f) ad qu. 65.
(g) ep. 86 nov. edit., antiqu. 60.
(h) lib. 5. cap. 5., & lib. 7. cap. 23.
(i) lib. 7. Strom.

mus convenit ; ac proinde eo ſublato impedimento , longioris ſcilicet a Plenilunio aberrationis , quod unicè ab amplectenda ſententia anni vigeſiminoni merito abſterrebat , omnes inpoſterum ulla abſque dubitatione eam ſequi poterunt , præſertim cum ſuperioribus characteribus demonſtrata videatur.

De feriarum vero diverſitate , quam hactenus adſtruere conati ſumus ; an eam revera aſſeruerimus aliorum ſit judiciū: noſtrum hoc eſto ; in ſumma rerum obſcuritate illud admittendum videri, quod eſt moribus omnium gentium conforme; liberat vero antiquiſſimam, celeberrimamque de anno Mortis Christi ſententiam graviſſima difficultate. Addam illud de me ; etſi præmerer auctoritate Patrum , & vetuſtiſſimorum ſcriptorum conſenſu , amplecti hanc ſententiam olim auſum non fuiſſe,ne a Dominicæ Paſſionis die plenilunium tamdiu removerem ; hæſiſſeque eo uſque ambiguum , dum rationis hujuſce ad hęc concilianda venit in mentē. At illud inſuper conſecutos ſperamus ; ut Chronologi deinceps nequaquam rem veluti certam,atque exploratam ponant, antiquarum feriarum, & cyclicarum,quibus nunc utimur conſenſum;atque huic conſenſui ſuperextruant rationes ſuas, ut in Chronologicorum characterū cenſum hic quoque recenſeatur. Nos quibus illius rei incertitudo ſuboluit,Chronologicarum rerum ſtudioſis innuimus, ut illud caveant, , & potius ad hoc , quod primi indicavimus explicandum illuſtrandumq; incūbant. Nihil enim hic niſi conatus veluti quidam,reique index fuit; quem quidē conatum viris eruditiſſimis,qui ornari facultates novis additis incrementis volunt non improbatum iri confido;cæteros auſteriores,& rigidioris cujuſdā Philoſophię homines exoratos volumus in antiquiſſima ſententia defendenda, novitas aliqua, quæ reperitur fraudi ne ſit,atque Poetæ auſcultent (a) .... αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων



DIS-

(a) Pindar. Olymp. ad. 9.

# DISSERTATIO II.

## De Notis Chronologicis ANNI NATIVITATIS

# D. N. JESU CHRISTI.



# DISSERTATIO II.

## De Notis Chronologicis ANNI NATIVITATIS D. N. JESU CHRISTI.



UM sæpe mecum animo reputarem quantum de anno Christi Mortis difficilis, atque impedita quæstio sit; mirabar rei obscuritatem, qui tanta occurrere potuisset in eo, quo nihil notius, atque testatius fieri oportebat. Etenim cum judicium fuerit constitutum, & de Romani Præsidis Sententia, etsi injusta, legitima tamen, & solemni forma pronuntiata res omnis illa gesta; ut confici Acta, totumque referri in tabulas addita nota temporis debuerit (a) incredibile omnino videtur, vel eas tabulas ita continuo intercidisse, ut perspici a Christianis (quorum indiligentem in eo operam, atque industriam nefas est suspicari) non potuerint, vel si potuerunt, illos ad posterorum memoriam tantæ rei tempus non transmisisse. Quod

 si ob-

(a) Quidquid sit de Actis Pilati, quæ ad Tiberium transmissa dicuntur, an sincera fuerint, & ad nos usque pervenerint incorrupta, quam controversiam non attingimus.

ſi obliteratæ ſtatim illæ, aut Chriſtianis ad eas aditus fuit quacumque de cauſa intercluſus; nihilne de tempore CHRISTI Mortis ab iis, quibus ea monumenta cum extarent patuerant interrogando cognoverunt; nihil ab aliis, qui interfuerant ſupplicio vulgatum eſt, quod poſteri retinerent, aliiſque ſervandum, mandandumque memoriæ traderent? Præſertim cum ea tunc temporis contigiſſent mira, atque inuſitata, quæ omnium animos perculerunt, famamque in exteras quoque regiones,& remotiſſima tempora propagarunt.Quamobrem eo deductus ſum ut arbitrarer, fuiſſe emortualem CHRISTI annum veteribus monumentis expreſſum, & antiquis Chriſtianis cognitum. Sed cum factum id omne eſſet ratione, ac modo numerandi illorum temporum; atque eum immutare deinde alii, ſuiſque ætatibus, & nationibus ſervire vellent, neque id recte facere potuiſſent; rem apertiſſimam perverſa interpretatione obſcuraſſe: atque ex eo nimirum varietatem omnem, inde opiniones diverſas, & tenebras nobis, & difficultates ortas. Itaque qui ab horum rationibus avocare animum, atque illuc unde hæ profluxerunt aſpirare poſſet, veteraque monumenta reſtituere, rem omnem facile expediturum. Hæc cum ſentiremus, antiquiſſimorum Auctorum ſcripta perſcrutantes, in quæ videmus apertiſſimis veſtigiis ea monumenta perveniſſe, id nos facere conati ſumus; & niſi ipſi nobis aſſentamur nonnihil profecimus, atque annum CHRISTI mortis obtinuimus multo, quam antea probabiliori ratione conſtitutum. Nunc in eam diſputationem ingreſſi, quæ eſt de anno CHRISTI Natali, negocium, ut ajunt ex negocio partum videmus, noſque ex difficili quæſtione in multo difficiliorem, implicatioremque conjectos; quo fuit CHRISTI Nativitas minus, quam mors (quæ extitit publica auctoritate, ſolemnique decreto, & portentis orbe univerſo celebratis inſignita) nobilis; & ſi pauculos, abjectoſque opiliones excipias popularibus ipſis Judæis ignota. Etenim *non venit Regnum Dei*, (a) quo loco nobiles Theologi CHRISTI Nativitatem intelligunt, *cum obſervatione*. Cum ergo omnium fere cognitionem præterierit, neque fuerit publicis tabulis conſignata; illo nos, quod erat in hiſce rebus maximum præſidium,certiſſimumque deſtitui-

(a) Lucæ 17. eumque locum explicat Bellarminus lib. 3. de Eccleſ. cap. 13. item alii apud Janſenium in concord. cap. 99.

tuimur, antiquis monumentis; & quæ PP. afferunt ea de proprio igenio afferre arbitrandum eſt. Non deſpondemus animo tamen, neque exiguum, vel laboris, vel induſtriæ noſtræ fructum laturos eſſe ſperamus, ſi annum CHRISTI ortus certum, definitumque non obtinentes, idipſum ſtatuamus; quo progreſſa hactenus ſit Chronologorum induſtria: quid deſiderari ab aliis; quis poſterorum diligentiæ locus relictus eſſe videatur. Quod ut præſtare commodius poſſimus eadem utemur, ac in ſuperiore inveſtigatione methodo, eamque viam inſiſtemus, quam comperimus maximo ad veritatem indagandam in Chronologicis rebus eſſe uſui; ut characteres ſingulos, & Chronologicas ejus anni notas: explicemus, atque excutiamus, & in unamquamque, quid eligi ex ea certum poſſit: quid in medio relinquendum; quid aliis collatum cauſæ, vel obſit, vel profit, inquiramus. Characteres autem hujuſmodi ſunt menſis dies, ac feria, quibus natus CHRISTUS perhibetur; Tempus univerſalis pacis, Quirini deſcriptionis, & mortis Hærodis; atque earum rerum conſtitutio, quæ paulo ante Herodis mortem acciderunt; Item tempus CHRISTI Baptiſinatis, & anni ipſius ætatis. Quibus cæteri, ſi qui ſunt, compræhenduntur.

## §.I.
## *Auctorum recentiorum, & veterum Sententiæ*

ANtea tamen ſunt celebriores ſententiæ enumerandæ, in quorum numerum non adſcribimus illa Judæorum portenta potius, quam ſententias apud Scaligerum *(a)*, Galatinum *(b)*, Raymundum Martinum *(c)*, Joſephum de Voiſin, qui anno Juliano 9., 37. ante æram vulgarem, aut etiam antea,natum CHRISTUM arbitrantur. Præterimus quoque Manfredum, Dulciatum, alioſque, quos alibi commemoravimus Marianum Scotum, Matthæum Pariſium, Paulum Foroſempronienſem; quorum abſurditatem (ſic enim eam placet appella-

*(a)* In animadverſ. ad Euſeb.
*(b)* Lib. 1. arcan. Cath. verit.
*(c)* In pugion. Fid.

pellare) superiori sæculo secutus est Fridericus Braubonus hæreticus contendens CHRISTI Natalem annum esse Julianum 34. cujus etiam Adamus Contzen in ea, quam scripsit Etherodox hominis refutatione (a) commemorat gloriosam vocem *gaudete mecum, & laudate Deum quotquot estis Christiani inven. annum Nativitatis* CHRISTI, *qui perierat*. His ergo omissis. qui præ cæteris Natalitium tempus CHRISTI prævertit fuit Joannes Harduinus (b), & Nicolaus Mannius (c) statueus anno V. C. 747. annis sex ante æram vulgarem; atque alter tres præterea menses addit; alter etiam plures. Post hunc annum annus Julianus 40., & 41., qui sequuntur plurimos, eosque viros doctissimos, eruditissimosque habent, assertores, & vindices; quorum princeps extitit Joannes Deckerius *vir pius, & antiquitatis historicæ solertissimus indagator* (d) quemadmodum eum Petavius appellat. Hic in eam quæstionem ingressus cum multo diligentius, quam cæteri rem perpendisset, atque excussisset veterum scriptorum monumenta, præsertim vero Josephi, & Dionis, vidit multo plus etiam, quam factum fuerat antevertendum annū CHRISTI Natalem; idque uberrime demonstravit in eo, quem pro gentis suo more edidit libro, atque inscripsit, *Velificatio, seu Theoremata de anno ortus, ac mortis Domini, deque universa* JESU CHRISTI *incarne Œconomia* (e). In Deckerium continuo plurimi invecti sunt oblata etiam Fidei religione: atque hi, ut Petavius affirmat; ne illa ipsa quidem, quam damnabant intellecta sententia, neque causa cognita. Exceptum volumus ex horum numero Baronium, quem tamen miramur acrius, quam prudentissimi hominis facilitas, atque ingenium patiebatur in eum, prætermisso nomine, fuisse invectum, sententiamque illam gravissimis verbis, atrocissimisque decretis confixisse (f). Non defuit sibi Deckerius, atque ingens opus a Philippo Alegambe (g) commemoratum longo 40. annorum studio elaboravit, cujus partem aliquam vidisse se testatur Seneschallus (h). Deckerii quoque sententiam, & Deckerium ipsum Religionis objectæ metu

(a) Commentar. in Luc. cap. 2. pag. 35.
(b) In Antirreth. ad Vaillant.
(c) Loc. cit. dissert. 2.
(d) Lib. 12. D. T. cap. 6.
(e) Æditus est liber Gracii an. 1605. cum ibi Baccalauraatus gradum adipisceretur Laurentius Suslyga; quare ejus nomine a nonnullis citatur, ut ab Heineccio loc. cit. rarum fuisse sua ætate, ut vix obiter sibi inspectari, numquam legere licuerit fatatur Casaubon.
(f) In additam ad Tom. 12. edit. primæ; quæ postea translata sunt in Apparatum.
(g) In Biblioth. Scriptor Soc. Jesu.
(h) Quæst. I. de Natali Christi cap. 3.

metu liberarunt melioris notæ Chronologi, qui eam ipſam opinionem amplexi ſunt, vel anno uno amplius CHRISTI ortum promoverunt. Itaque eum anno Juliano 40. V. C. 748. ante æram vulgarem ſexto conſtituerunt egregius Aſtronomus Joannes Kepplerus, M. Antonius Cappellus, Henſchenius, Pagius, Schelſtratus, Blanchinius *(a)*. Anno Juliano 41. Deckerium ſecuti Petavius, Uſſerius, Lancellottus, Noriſius, Natalis Alexander, Tillemontius, Graveſonius, Monelia, Samuel Baſnagius, Joannes Clericus. Anno Juliano 42. ante æram vulgarem quarto CHRISTI Nativitatem conſignat Bernardus Lamy. Julianus 43. ipſe eſt annus CHRISTI Natalis Baronio, Torniello, Langio, Cointio, Savino; præterea Scaligero, Caſaubono, Voſſio, Calviſio. Annum Julianum 44. tuetur Salianus, Suarez, Mariana, Mercator, Paulus Petavius, Temporarius, Honoratus a S. Maria; Panvinius quoque, etſi ſubinde vulgarem æram amplecti, ut veri anni Natalis CHRISTI indicem, videtur. Pro anno Juliano 45. ante æram vulgarem primo ſtant multi, nec ignobiles Chronologi Paulus Brugenſis, Toſtatus, Genebrardus, Grandamicus, Malbranchus, Labbæus, Brietius: nonnulli etiam Aſtrologi, qui Thema, ut vocant erexerunt CHRISTO naſcenti; inter quos Paulus Foroſempronienſis *(b)* nominat Nicolaum Cuſanum, Petrum de Alliaco, & Rogerium Baconem. Æræ vulgaris annum primum delegerunt Campanus, Lucas Gauricus, & Rogerius Bacon, qui tamen ſuperiori anno, ut diximus, favere videtur. Poſt hos annos annus CHRISTI Natalis a celebrioribus Auctoribus non differtur, niſi forte a Paulo Foroſempronienſi, qui *(c)* tandem repudiata revelatione illa in anno 47. Juliano, æræ vulgaris ſecundo acquieſcere videtur; & Thoma Lydiat *(d)*, qui confidentiſſime aſſerit fore, ut univerſi diſcedant deinceps in Sententiam ſuam.

Quod ſi ante horum, quos modo nominavi tempora progrediamur, occurrunt primo loco Computiſtæ, qui inter cætera artis ſuæ dogmata annum quoque CHRISTI Natalem conſtituere ſolere diximus. Horum Principem Petavius *(e)* apud Græcos ſtatuit S. Maximum, apud Latinos Bedam. Maximi quæ fuerit ſententia non pronum eſt dicere. Pagius, & ſi

cum

*(a)* Locis in Superiori differt citatis.
*(b)* Part. 2. Paul. n. lib. 4.
*(c)* Lib. 13.
*(d)* In emendat. temp.
*(e)* In proleg. D. T.

eum cenſet copulaſſe annum Incarnationis cum anno Juliano 43., arbitratum tamen ſibi non conſtare *(a)*. Atque idem Pagius *(b)* duas Incarnationis æras in Oriente inſtitutas fuiſſe contendit, quarum prima (atque hac uſum vult Euſebium in Chronico) Incarnationis annum conferat in hunc ipſum Julianum 43., altera, quam Panodorus adhibuit in annum Julianum 45. Sed de his Græcorum æris diſputatio adeo eſt difficilis, atque obſcura, neque ſummorum hominum Petavii *(c)*, Pagii *(d)*, Du-Cangii laboribus evoluta, ut hic admiſceri non debeat. Beda, & Latini antiquiores Computiſtę, ut Petavius *(e)*, & Pagius tradit, Natalem CHRISTI conjiciunt in annum primum exeuntem communis æræ, quo Conſules fuere Auguſtus XIV., & Æmilius Paulus. Quod item faciunt antiqui faſti apud Cuſpinianum. Dionyſius vero Exiguus, ut idem docet, non anno hujus æræ primo Incarnationem CHRISTI, natalemque tribuit, ſed ei, qui proxime anteceſſit, eſtque hic Julianus 45. Etenim æram illam, quam Panodorus Monachus, aut ſecutus fuerat, aut inſtituerat ab eo ad Latinos tranſtulit. Itaque Pagius *(f)*, & Noriſius *(g)* negant ullius æræ Dionyſium, quod multi Eruditorum cenſent *(h)* Auctorem extitiſſe.

Ex Græcis ſequioris ævi Joannes Malala *(i)* anno Auguſti 42. Octaviano, & Silvano Coſs., ait CHRISTUM natum: quod etiam apud Gretſerum *(k)* affirmat Alexander Monachus. Syncellus annum Auguſti 43. nominat, ſed addit Conſules, qui anno æræ vulgaris nono conveniunt. Cedrenus, & Nicephorus Callixtus annum habent Auguſti 42., quorum quidem de ſententia conſtat; nam de Nicetæ, Glycæ, aliorumque, quorum opiniones ex annorum intervallo, quod computant a Mundi conditu ad CHRISTI nativitatem eliciunt aliqui, rem eſſe obſcuriſſimam bene Petavius docet: quod etiam valet de Zonara, qui anno 29. Auguſti a pugna Actiaca CHRISTUM natum, ait; ſubdit vero ſuperſtitem fuiſſe Auguſtum poſt CHRISTUM natum annis 15. annus vero Aug. 42., quem alibi ſcriptores medii ævi ſummo conſenſu excepiſſe diximus, quibus adi-

(a) In Diſſert. de Periodo Græco-Roman. num. 51.
(b) Ibid. num. 13.
(c) Lib. 9. D. T. cap 2. &c. & I 8. Auctaril.
(d) Loc. cit.
(e) Lib 12. D. T. cap. 1. &c.
(f) In Diſſert. de Period. num. 24.
(g) Diſſert. 3. de Cycl. Paſch. Ravenn. cap 5.
(h) Ut Dupinus, & qui de Script. agunt, aliique, ut teſtatur Ducangius in Gloſſ. ver b. *æra Chriſtiana*.
(i) Initio lib. 10.
(k) De Cruce.

di poteſt Sæculi VI. ſcriptor Iſidorus Hiſpalenſis, & ejus interpolator Lucas Tudenſis; Gregorius etiam Turonenſis; & ſi annum 43. præſeferat, a Julii nimirum cædæ.

Roget fortaſſe aliquis, ut explicemus, quæ fuerit Patrum antiquiſſimorum ſententia. Nos vero eas ad eſtremum hunc locum diſtulimus, quod illorum auctoritatem, etſi veterum monumentis caruerunt tanti facimus, ut quaſi characteris cujuſdam loco habeamus. Antiquiſſimus omnium occurrit Juſtinus, qui in apologia ad Antoninum Pium, quæ ſecunda vulgo recenſetur, ait; CHRISTUM natum ante annos 150. Poſt Juſtinum Irenæus *(a)* ſcripturarum verſionem probans factam fuiſſe ante exortum CHRISTUM ſcribit, *natus eſt enim Dominus noſter circa primum, & quadrageſimum annum Auguſti Imperii; multo autem vetuſtior fuit Ptolemæus, ſub quo interpratatæ ſunt Scripturæ*. Clemens vero Alexandrinus pluribus in locis tempus CHRISTI natale indicat: modo enim 28. Auguſti anno acciđiſſe dicit *(b)*; modo ad Commodi tempus refert, & interfuiſſe, ait, annos 194., menſem 1., dies 13. *(c)* Tertullianus ſcribit *(d)*; *Cleopatra conregnavit ſub Auguſto annis 13., poſt Cleopatram Auguſtus aliis annis 43., nam omnes anni Imperii Auguſti fuerunt anni 56., videmus autem, quoniam quadrageſimo, & primo anno Imperii Auguſti, quo poſt mortem Cleopatræ imperavit naſcitur* CHRISTUS, *& ſupervixit idem Auguſtus, ex quo naſcitur* CHRISTUS *annis 15., & erunt reliqua tempora annorum in diem nativitatis* CHRISTI *anni* 41. Euſebius cùm in chronico, tùm in Hiſtoria Eccleſiaſtica *(d)*; & Epiphanius in opere de hæreſibus *(e)*, atque in ejuſdem operis Anacephalæoſi *(f)* ortum CHRISTI conſignant anno Auguſti 42. Apud Epiphanium vero *(g)* veteres Annales, quos tamen ipſe corruptos ſuſpicatur, anno 40., quē annum habere dicitur Anonymus quidam horum temporū Chronologus *(h)*. Anno 41. Hieronymus ubi explicat locum

P illum

(a) Lib. 3. contra hæreſ. cap. 21. al. 25.

(b) Lib. 1. Strom. ἐγεννήθη δὲ ὁ κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει ὅτε πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γενέσθαι ἐπὶ Αὐγούστου.

(c) Ibid. γίνονται οὖν ἀφ' οὗ ὁ κύριος ἐγεννήθη ἕως Κομόδου τελευτῆς τὰ πάντα ἔτη ἑκατὸν ἐννενήκοντα τέσσαρα, μὴν εἷς ἡμέραι ιγ'.

(d) Adv. Jud. cap. 8.

(e) Hær. 51. num. 22.

(f) Num. 123. Tom. 2 pag. 135. ex recenſ. Petavii.

(g) Hæreſ 51. n. 29.

(h) Apud Tirinum in Chronic. cap. 47.

illum Isaiæ; *non levabit gens contra gentem gladium* subdens: *veteres revolvamus historias, & inveniemus usque ad 28. annum Cæsaris Augusti, cujus 41.* CHRISTUS *natus est in Judæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam*. Hieronymo hic adnectere possemus Chrysostomum, si Chrysostomi constaret esse homiliam illam, quæ habita est in ea verba: *exiit edictum*: idem enim sentire videtur (*a*). Sequitur Severus Sulpitius, qui natum, ait, CHRISTUM (*b*) Sabino, & Rufino (ideft Rufo, nisi in affini nomine erravit) Coss. Jul. 42. Basilius Seleucensis, et ejus locū legit Dausquejus (*c*) annū habet Imperii Augusti 29. De Orosio nonnulla controversia est. Nam Valesius (*d*), ait, eum anno 42. Augusti asserere CHRISTUM natum; atque ita in vulgaribus editionibus legitur, consonatque anno, quem apponit V.C. 752., sed Pamelius asserit (*e*) *haud dubiè* ita castigandum Orosium, ut legatur 41., atque ita sentire Fevardentium. Dubio procul hunc 41. annum expressit Cassiodorus (*f*), addiditque Consules C. Lentulum, & Messallam. Photius (*g*) Politiam quamdam nominat SS. PP. Metrophanis, & Alexandri, cujus Auctor putatur Constantino æqualis; ejus fragmentum exhibet Combefisius (*h*), in quo annus Imperii Diocletiani 19. dicitur esse adventus CHRISTI 305.; quare illum statuere videtur anno Juliano 42. Atque hæc quidem Antiquorum PP., & Scriptorum sententiæ: ex quibus constat nequaquam inter se, ut de CHRISTI morte, ita, & de Nativitate consentire, quod liquido ostendit caruisse eos antiquis monumentis, atque illud ratiocinando collegisse. Præterea annum, quem illi expresserunt, si quis ad æræ nostræ vulgaris, aut Julianos annos revocatum velit, non id facile præstabit.

Et Justinus quidem tempus, quod indicat, est omnino incertum. Etenim nec de tempore constat, quo Apologiam illam conscripsit, ut Petavius (*i*) fusè demonstrat; & quamquam constaret, nihil magis inde conficeretur. Nam non ita rigide est

(*a*) Abjudicat Chrysostomo illam homiliam Savilius, Ducæus, Tillemontius, Montfaucon; hic tamen eam laudat. tom. 2 op. p. 800. in app. ex Montfauconii ipsius recens. διὰ γὰρ ὑμᾶς εἰδότας ὅτι ἐβασίλευσεν ἔτη πεντήκοντα ἕξ. τελέσαντος δὲ αὐτοῦ τεσσαράκοντα δύο ἔτη ὁ χριστὸς τίκτεται.

(*b*) Lib. 2. cap. 27. ex recens. Vorstii.

(*c*) In not. p. 274. edit. Paris. 1622. ex rec. Vossii τοῦ βασιλεύοντος ὁ χριστὸς ἐγεννήθη κατὰ σάρκα ἔτει κθ'

(*d*) in lib. 1. cap. 5. Euseb.

(*e*) in Tertull. pag. 152.

(*f*) in Chronic.

(*g*) Cod. 256.

(*h*) Tom. 1. Auctar. pag. 574.

(*i*) in animadv. ad Epiphan.

est numerus ille excipiendus, ut unum certum, statumque annum significet. Sive enim objectio illa censetur Ethnicorum, ut Nourry existimat *(a)*; sive id Justinus ex sententia sua affirmat, argumenti genus est quoddam, cui nihil deperit, si aliqui anni de summa illa demantur, vel aliqui præterea numerentur. Quare Bucholcerus *(b)* ad annum 141. opus illud censuit pertinere; Petavius *(c)*, & Blanchinus *(d)* ad annum 139. æræ vulgaris. Plerique PP. reliquorum epocham assumunt Imperii Augusti: sed apparet non eamdem sequi omnes. Et quatuor quidem animadvertimus a scriptoribus usurpatas: prima est Julii cædes anno Juliano 2., ante æram vulgarem 44. Idibus Martiis; altera statuitur anno proximè insequente Julianam cædem; tertia habetur a pugna Actiaca, quæ commissa est anno Juliano 15., ante communem æram 30., Septembris die 2., ut Petavius *(e)* docet: postremam epocham facit Cleopatræ, atque Antonii interitus anno Juliano 16.; atque hinc Actiaci anni procedunt ab Augusti die 29. De his cùm reliqui chronologi, tum vero Petavius *(f)*, qui etiam ultimas has duas inter eas recenset *(g)*, de quibus periti omnes inter se conveniunt. Ex his epochis alteram secutum esse Epiphanium, dum annos numerat 42. planum fit ex eo, quod annum illum afficit alio charactere, Consulatu nimirum Augusti XIII. *(h)*, qui incidit in annum Julianum 44. ante æram vulgarem 2. Itaque hic est Epiphanio CHRISTI natalis annus. Tertullianum vero si attendenda esset ejus textus pars, quæ dicit *quadragesimo, & primo anno Imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ regnavit nascitur* CHRISTUS quartam Imperii Augusti epocham adhibere constaret, & annum E.V. undecimũ designare. Verum nimium enormis error ille videtur Pamelio *(i)*, & revera contextus omnino repugnat; præsertim cum subdit supervixisse Augustum CHRISTO annos 15. Malè igitur *τὸ post mortem Cleopatræ* addidit, si tamen id ipse scripsit; D. enim Hieronymus, & Julianus Toletanus legunt *quadragesimoprimo anno Imperii Augusti, qui post mortem Cleopatræ imperavit*: qua admissa lectio-

P 2 ne

*(a)* In Apparat. Differt. 2. de script. II. sæc. cap. 3. § 9.
*(b)* in Chronol.
*(c)* Lib. 13. D. T.
*(d)* Tom. 2. Anast. in Chron.
*(e)* Lib. 10. D. T. cap. 71.
*(f)* Lib. 10 cap. 66. & 71.
*(g)* Rationar. part. 2. lib. 1. cap. 15.
*(h)* Hær. 51. num. 22.
*(i)* in Tertulliani lib. adv. Jud. cap. 4.

ne omnis tollitur difficultas, minime tamen patet: a qua præcisa epocha 41. numeret; a prima ne, an a secunda: illud Pagius, hoc Petavius tuentur. Irenæus a qua epocha annos suos 41. accersat non liquet; ab altera ex supra adductis epochis anno Juliano 3. vulgo censetur; at qui ejus opera novissime recensuit, illustravitque Renatus Massuetius vult illum advocare a Julii nece. Clementem Alexandrinum postremam ex 4. epochis amplexum esse colligitur ex eo loco, quem adduximus de annis Commodi. Cum enim Princeps ille interierit postremo die anni æræ vulgaris 192., ut Chronologi celebriores cum Petavio (*a*), & Blanchino (*b*) statuunt; ipse vero numeret a CHRISTO ad ejus mortem 194. annos expletos, sequitur ex ejus sententia CHRISTUM natum exeunte anno tertio ante æram vulgarem. Nihil igitur fuit, ut Clementem ad annum Julianum 43. pertraheret, cur Hervetus (*c*) emendaret hunc locum, & reponeret pro 28. numerum 41., cui emendationi repugnat Laurentianus codex, & vir eruditus, ac diligens Petrus Victorius, qui ex eo codice Clementem Alexandrinum primus edidit; repugnant, etiam vetusti codices, quos in editione sua adhibuit Daniel Heinsius. Quod Eusebium pertinet, habet his loco laudato Historiæ Ecclesiasticæ annum 42., & de chronico testatur Pontacus (*d*) *omnes ferè libros concurrere, ut nativitatem Salvatoris prænotent ad eumdem annum Herodis* 32. *Augusti* 42., *&* 3. *Olymp.* 194.: alios præterea codices, quos Pontacus non vidit affert Valesius (*e*); additque annum primum Augusti Eusebio esse eum, quo Hirtius, & Pansa Coss. fuere; nimirum Julianum 3., ante æram vulgarem 43. Sed obstare illud videtur, quod annum Eusebius 42. copulat cum anno ab Ægypto subacta, & Cleopatra mortua 28.: ut vero primum illum decurrentem intelligere necesse est, ita faciendum de altero. Prætera eodem ferme loquendi modo utitur, ac Clemens: qui ergo ambo in anno 28. consentire potuerunt, cum in alio discordent, neque posterioris alicujus epochæ vestigium extet in veterum monumentis? Verum si animadvertamus, quod jamdiu observatū animadversumq; est a viris doctis quosdam

(*a*) Lib. 13. D. T.
(*b*) in Chron T. 2. Anast.
(*c*) in comment. Clement. pag 374.
(*d*) In Chronol. Euseb. pag. 512.
(*e*) in lib. 1. cap 5. H. E. Euseb.

dam Græcorum aliquando aliter,ac Romanos diem CHRISTI natalem ſtatuiſſe, neque ut hi anno Juliano exeunte, ſed ineunte, collocaſſe, erit omnis de Euſebio quæſtio diſſoluta. Ille enim bene potuit anno Imperii Auguſti 42. ab altera epocha numerato copulare annum 28. a Cleopatræ nece; modo ante diem Auguſti 29., CHRISTI natalem incidere opinaretur; nam eo ſolum die exibat Actiacus annus 28. Clementem vero bene anno 41. annum a morte Cleopatræ recenſuiſſe 28. videbit, quiſquis loca ſupra recitata expenderit. Ait quippe a morte Commodi ad CHRISTI ortum annos intercesſiſſe 194., menſem 1., dies 13. Ergo eſt CHRISTUS ex ejus ſententia natus die Novembris 16., quando jam annus poſt Antonii, & Cleopatræ interitum incæperat 28.

Atque ex his conſequitur etiam alterum; nimirum aliquos, qui annos 41., & 42. Auguſti numerant; etſi anno integro videantur inter ſe differre, fortaſſe ſolis diebus 13. diſcrepare; cujus quidem diſcrepantiæ probabilis quædam ratio afferri poteſt, ſi animadvertamus; qui 41. annos numerant ferè eſſe Latinos, aut Latinis Eccleſiis addictos Irenæum, Tertullianum, Hieronymum, Caſſiodorum; qui annos 42. Græcos, ut Euſebium, & Epiphanium. Quin igitur dicamus Latinos, cum Græcos viderent initio anni diem CHRISTI natalem ſtatuere; ipſi vero natum anno exeunte arbitrarentur, & mallent etiam minimum ab eorum ſententiis diſſidere; ideo coactos fuiſſe in annum præcedentem nativitatem CHRISTI transferre. Poſſumus ergo, inquiet aliquis, Patrum pleriſque, qui adverſi videbantur compoſitis eorum ſententiam amplecti, & CHRISTI nativitatem anno Auguſti 41. aſſignare? Me quidem auctore non licet: neque enim concordia ulla inter Sulpicium, Euſebium, Irenæum, iniri poteſt. Imo neque Græci omnes, aut Latini inter ſe conveniunt;plures enim ex iſtis in annum 42. concedunt; ex illis aliqui 41., alii 43. præſeferunt; ſed quod præcipuam inducit incertitudinem;plurimorum loca valdè ſunt controverſa, & obſcura, atque implicata, neque enim omnia examinare libuit, quod Seneſchallus præſtitit; nec vero omittendum auctores, qui annum 41., vel 42. Auguſti habent a prima ne, an a ſecunda epocha eos deducant eſſe, ut plurimum prorſus incertum. Quæ omnia demonſtrant quantum Patres, non ſolum varii, & inter ſe contrarii hac in re fuerint, verum

verum, & quam difficile ſit veram eorum ſententiam inveſtigare. Undè eorum auctoritate nihil liceat certi conſtituere. Quod autem mirum fortaſſe alicui progreſſu diſſertationis videbitur eſt antiquos auctores omnes ſi corruptos illos apud Epiphanium annales, Anonymum Tirini, & ſi vis Sulpicium Severum excipias in CHRISTI anno tradendo cum certiſſimis ipſius anni characteribus pugnare, & annum a vero longe diſſitum deſignare; cujus rei, ne aut irreligionis nos in Patres, aut inſcitiæ ipſi inſimulentur, aliqua inveſtiganda eſt cauſa. Cum enim, ut vidimus publicis deſtituerentur Patres monumentis, & ipſa traditione, quibus Natalis annum dignoſcerent, nec ipſis profanos penitius ſcrutandi auctores, aut animus, aut opportunitas ſuppeteret, illum præcipue ex Evangelio colligere niſi ſunt, ex quo cum difficillime, erui poſſit mirum videri non debet, ſi ſuis ineundis rationibus lapſi ſint. Cum vix plurimorum annorum ſtudio plus aliquid hac in re profecerint recentiores doctiſſimi viri, qui cunctos ſcrutarunt profanos Auctores, curamque omnem, ut annum hunc conſequerentur impenderunt. Attamen neſcio an voti compotes ſint effecti; quis vero ſibi perſuadeat illud à Patribus præſtari potuiſſe, qui graviſſimis rebus occupati has quæſtiones obiter, & perfunctoriè attingere ſolebant; quare non ingenii, aut ſcientiæ defectu, ſed temporis potius, opportunitatiſque ita in hac quæſtione verſati ſunt; ut vero propius accedere non potuerint, quod recenſiores præſtiterunt,

## §. II.
## *De menſis die, ac Feria, qua* CHRISTUS *eſt natus.*

POſtquam a veterum Patrum auctoritate diſceſſimus primò offendimus characterem, quem exibet Beda, ſive Auctor lib. de argumentis lunæ *(a)*, ubi ait; *conceptus eſt Dñus die Dominico VIII.Kal.April., & natus Feria III., VIII.Kal.Januarii*: quem avidè plures arripuerunt *(b)*; Uſque modo enim Chronologi exiſtimarunt data Feria, ac menſis die, ubi de longo temporis

(a) cap. de ſolſtit.; & æquinoct.

(b) Præcipue Capellus de ul. Cœn.

poris intervallo ſermo non ſit, facile eſſe annum quæſitum certò determinare, quod nos, cum de rebus, quæ primis ſæculis acciderunt agitur, oſtendimus eſſe prorſus incertum, de quo fuſè ſuperius, modo qualia ſint cætera videamus. Ut ut enim aliquid ea ratione conficiatur de menſe, & menſis die, & maxime de Feria debet certò conſtare.

Ac de menſe quidem, ac die CHRISTI natali diſſenſiſſe olim Orientales, atque Occidentales Eccleſias notius eſt, quam ut hic fusè debeat explicari (a). Quando autē primo iſta diſceſſio facta ſit, & quæ Orientales Eccleſiæ a Romana diſcrepaverint, hoc vero ad rem noſtrā maxime arbitror pertinere. Extat apud Combefiſium (b) Joannis Nicæni neſcio cujus epiſtola, in qua narrat quemdam Cyrillum Hieroſolymitanum Patriarcham, qui Cyrillo alteri Sanctiſſimo celeberrimoque viro proximè ſucceſſit, ſcripſiſſe ad Julium Papam de Myſteriis pluribus, quæ eodem die celebrabantur disjungendis, perquirendoque vero die natali CHRISTI: quod cum Julius feciſſet, inveniſſe eum cadere in Decembris diem 25.: itaque ex eo tempore cœpiſſe Romanam Eccleſiam illo die CHRISTI Nativitatem celebrare, & tradidiſſe celebrandum univerſis Eccleſiis: hunc etiam diem Baſilium definiviſſe, & mandaſſe Gregorio Theologo, ut in Conſtantinopolitana Synodo promulgaret; quod cum feciſſet, fuiſſe tamen, qui nihilominus de veteri ſententia non diſcederent; donec Honorius Imperator Byzantium veniens rem omnem Joanni Chryſoſtomo cognoſcendam permiſit; qui multis advocatis, coactiſque Epiſcopis, atque in his Epiphanio, diem pariter 25. Decemb. celebrandæ CHRISTI Nativitati præſtituit; conſenſeruntque univerſi quatuor Patriarchæ. Hæc Joannes ille. Omitto, quam non ſit facile Cyrillum iſtum Patriarcham poſt alium Cyrillum inducere; ut ex Papebrochio, qui ſeriem Hieroſolymitanorum Epiſcoporum diligenter contexuit (c) liquet. Quid turpes quos committit anachroniſmi; atque in his ille inſignis de Cyrillo, & Julio? Julius enim, ut Petavius (d), Pagius (e), Blanchinus (f), cæterique tradunt obiit anno æræ vulgaris 352., quatuor, vel ſeptem,

(a) De eo Thomaſin. de feſt. Martene de antiqu. diſc. in off. cap. 12. Gothofredus in Cod. Theodoſ. de ſpect. T. 5. pag. 324. Caſaubonus exercit. 2. n. 12. Hoſpinianus de feſt. Chriſt. &c.

(b) Tom. 2. Auctor p. 297.

(c) Tom. 3. Maii Act. SS.

(d) Lib. 13. D. T.

(e) In critic. Baron. ad hunc an.

(f) Tom. 3. Anaſt.

ptem, & triginta annos ante obitum Magni Cyrilli, cui iste dicitur successisse: ille enim ex diligentissima Antonii *(a)* Toutteii supputatione obiit anno 386., vel etiam 389., ut Papebrochius *(b)* existimavit. Sed his omissis recentioris sane ætatis fuit Joannes ille, quod etiam Combefisius vidit *(c)*, ut ejus potius, quam Patrum auctoritatem revereri, ac tueri debeamus. Etenim ex horum antiquis monumentis hoc mihi erui posse videtur; Occidentalem Ecclesiam ab ultima antiquitate CHRISTI nativitatem celebrasse VIII. Kal. Januarias; licet in eo die de nulla Orientali Ecclesia constet cum Romana consensisse. Primum horum confirmare videtur Augustinus, qui antiquam de eo traditionem extare innuit cum scribit *(d)* *sicut a Majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas: VIII. enim Kal. April. conceptus creditur... natus autem traditur VIII. Kal. Januarias*; & alibi *(e)* *Joannes natus est, sicut tradit Ecclesia VIII. Kal. Julias, cum jam incipiunt minui dies; Dominus autem natus est VIII. Kal. Januarias, quando jam incipiunt dies crescere*. Sed omnium id disertissime, apertissimeque declarat Chrysostomus in ea, quam de natali Domini habuit homilia; quæ licet suspecta fuerit nonullis viris eruditis, ab ea tamen suspicione nunc libera vulgo habetur *(f)*. In ea igitur cum persuadere Antiochænos conaretur, ut Occidentalis Ecclesiæ consuetudini accederent, & natalem CHRISTI VIII. Kalendas Januarias celebrarent hoc inter cætera argumento utitur; quod diem, quo CHRISTUS est ortus optime omnium cognoscere Romani potuerunt ex descriptionis Cyrini tabulis; hunc autem illos olim elegisse, & antiqua traditione ad illud usque tempus fuisse transmissum. An vero hoc Chrysostomus diceret, si constaret id ab Ecclesia Romana initio factum fuisse; tempus etiam cognosceretur novæ institutionis? An Græci suarum consuetudinum retinentissimi aboleri hanc passi essent, ut Occidentalium ritum sequerentur? Secutos vero hunc esse lubenti animo Græcos idem

(a) Differt. 1. de Vita S. Cyrilli.
(b) Loc. cit.
(c) in observ. ad Joannis Nicæni ep.
(d) Lib. 4. de Trin. cap. 5.
(e) in Psalm. 132.
(f) Montfauc. in admonit. ante hanc Homil. T. 2. oper. Chrys. pag. 353.; *monemus hanc homiliam a nonnullis doctis viris in ροσωχ suspicionem vocari, ne minimam quidem, ἀμφιβολίας nebulam obtendere posse. Siquidem, tum ex laudatis contra Judæos homiliis, tum & memorato in Philogonium sermone, tum ex styli nota, atque signis omnibus conspicuum est hanc concionem esse veram, germanamque Chrysost. fœtum.* inter genuinos refertur a Savilio T. 5. p. 512. καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ῥώμης

idem Chryſoſtomus eodem in loco teſtatur. Quamobrem illud conſtare mihi videtur Romanam Eccleſiam ab ultima antiquitate CHRISTI natalem diem VIII. Kal. Jan. celebraſſe; non ut Joannes Nicænus volebat a Julii ætate. Itaque miror tantum honoris Græco illi a Montfauconio deferri (*a*), atque ab aliis eruditis viris: amplector ego lubentius ſapientiſſimū BENEDICTI XIV. de eo judicium, & Cl. Moneliæ illum nihili faciendum pronunciantes. Præſertim cū ibidē Chryſoſtomus addat (*b*): iis, qui novum hunc morem induci criminabantur reſponſum a prudentioribus: novum non eſſe, ſed antiquiſſimum, vetuſtiſſimumque, & jam inde a primordio ab ipſa Thracia Gades uſque incolentibus manifeſtum, & celebrem extitiſſe; quibus verbis, & Eccleſiarum Occidentalium limites optimè definiuntur, ſive Romanus Patriarchatus; ut mirer id non animadvertiſſe viros rerum harum ſcientiſſimos Lucam Holſtenium, & Carolum a S. Paulo (*c*): & apertiſſime ſignificatur id ab Occidentalibus omnibus ſemperque ſervatum. ut Romanæ Eccleſiæ non fuerit proprium, & peculiare. Difficilius eſt alterum conſtituere utrum Orientales Eccleſiæ omnes ab Occidentali diſſenſerint. Antiochænam, aliaſque multas diſſenſiſſe cum veterum PP. ſcripta, tum Chryſoſtomus ipſe in eadem oratione declarat; ait enim nondum elapſum decennium, quo ab Occidente in Orientem diei illius cognitio pervenerit (*d*): nimirum, ut Montfauconius (*e*), putat primum mos iſte in Orientem penetravit anno 376.; cum vero inter alia argumenta hoc, quod fuiſſet maximum, Chryſoſtomus præterierit ab Orientalis Eccleſiæ alicujus conſuetudine ductum; cum novitatis nomine traduceretur hic ritus, videntur Orientales omnes Eccleſiæ a Romanæ conſuetudine in aſſignando die CHRISTI natali fuiſſe alienæ. Combefiſius in illam Joannis Nicæni Epiſtolam aſſerit Baſilium agnoviſſe natalem Domini diem præter Epiphaniam,

Q idque

ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆς ἀπογραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βουλόμενον... ὅτι παρὰ τῶν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων καὶ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκούντων παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν. οἱ γὰρ ἐκεῖ διατρίβοντες, ἄνωθεν καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως αὐτὴν ἐπιτελοῦντες αὐτοὶ νῦν αὐτῆς ἡμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο.

(*a*) In præfat. ad cit. homil.

(*b*) Τῶν δὲ ἀπολογουμένων ὅτι παλαιὰ καὶ ἀρχαία ἐστί..... καὶ ἄνωθεν τοῖς ἀπὸ Θρᾴκης Γαδείρων οἰκοῦσι κατάδηλος καὶ ἐπίσημος γέγονε.

(*c*) In Geograph. ſacr.

(*d*) Loco ſupra adducto.

(*e*) In admonit. ad illam homil.

idque aperte indicasse hom.25., quæ hanc præfert inscriptionem εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν. Thomasinus (a) addit Isidorum Pelusiotam, & Gregorium Nazianzenum; eosque vult Theophaniæ nomine diem CHRISTI natalem ab Epiphania distinxisse. Verum quod Basilium spectat, illam homiliam Tillemontius Basilio rectè abjudicari posse affirmat. Abjudicavit vero, qui Basilii opera novissimè recensuit Julianus Garnier, causasque profert bene multas, & graves. Præterea, ut Garnierus idem benè observat, duo in ea Mysteria ortus Domini, & adorationis Magorum ita exponuntur, ac conjunguntur, ut potius significetur utrumque illis temporibus simul celebratum fuisse, vocatumque eumdem festum Theophaniam. Quod si Isidorus, & Nazianzenus Theophaniam interpretantur CHRISTI natalem, non ideo significant diversos dies; sed diversa Mysteria, quæ die eodem celebrabantur: immo cum fuere distincti dies, Theophaniæ nomine non CHRISTI Nativitas, sed Baptismus veniebat. Id in Græcis posterioris ævi constat. Nam in Canonum collectione, quam Balsamon elaboravit (b) legitur τὰ Χριστοῦ γέννα, καὶ τὰ θεοφάνεια distingui, quod alibi sæpe repetitur (c), & in Nomocanone Photii (d). Quare Ecclesiasticarum vocum optimus interpres Ducangius (e) aliique viri docti Theophaniæ nomine non CHRISTI Nativitatem, sed Baptismum intelligunt, atque declarant. Omnis ergo Thomasini ratio concidit: nullumque afferri potest monumentum etiam infra Chrysostomi ætatem, quod quidem antiquum sit, quo distinctio ista diversorum dierum significetur. De Ægypto universa, atque ætate sua Cassianus testatur (f): *intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracta Epiphaniorum die, quam Provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici Baptismi, vel secundum carnem Nativitatis esse definiunt; & idcirco utriusque Sacramenti Nativitatem non bifarie, ut sub occiduis Provinciis, sed sub una die hujus Festivitatem celebrant.*

Solum

(a) Lib. 2. de fest. cap. 6.
(b) In paratitl. Tit. 2. p. 1242. ex recens. Justelli ἡμέρας τῆς πασχαλίας, καὶ τὴν τοῦ Χριστοῦ γένναν, καὶ τὰ θεοφάνεια, καὶ ἑκάστην κυριακὴν . . . . . ἀργήσωσιν.
(c) In paratitl. tit. 8. τῆς πασχαλίας ἡμέρας, καὶ τὴν Χριστοῦ γένναν, καὶ θεοφάνεια &c.
(d) Tit. 7. cap. 1. μετὰ τὸ πάσχα, καὶ ἡ Χριστοῦ γέννα καὶ τὰ θεοφάνεια, καὶ ἡ τῶν πάθος τῶν Ἀποστόλων
(e) in Glossar. Græco.
(f) Collat. 10. cap. 2.

Solum Constitutiones Apostolicæ, quæ vocantur (*a*) distinguunt τῶν γενεθλίων & ἐπιφανίων ἑορτῶν. Verum nemini est ignotum, quid de Constitutionibus illis sentiat, (ut cæteros eruditos viros taceam Natalem Alexandrum, (*b*) Christianum Lupum (*c*), Dupinium) (*d*) vir prudens, & gravis, neque in judicandis de veterum monumentis judicii nimium, quam par est severioris Bellarminus: ait (*e*) enim; multa quidem in eis reperiri utilia, & a Græcis in pretio habita; sed in Ecclesia Latina nullum fere nomen habere, atque a posterioribus Græcis improbatas in Trullana Synodo, nemini tamen fraudi sit ille ritus, a quo Græci ipsi tandem discesserunt.

Sed erit fortasse, qui nos bellè deceptos putet, quod duo non distinxerimus, quæ erant sedulo distinguenda; atque aliud esse dicat Romanam Ecclesiam diei Decembris 25. natalem Domini desixisse; aliud CHRISTUM putasse eo mense, atque eo mensis die natum. Ego vero differre ea inter se non diffiteor: novi etiam hoc esse, quod Petrus Damiani (*f*) fuse alicubi demonstrat: *quasdam festivitates non suo tempore celebrari*, profertque ibi Festum diem S. Jacobi, S. Petri, qui dicitur a vinculis, S. Joannis Baptistæ decollationem. Verum ita est hoc intelligendum, ut generalis legis exceptiones fuerint illæ quædam, causâ aliqua superveniente inductæ; universè autem verum id est, quod Paulus Papa IV. (*g*) affirmavit; *Sanctos per anni circuitum die, ut plurimum, qua eos ad cœlestia regna migrare contigit Sancta veneratur Ecclesia*; quod a primis ætatibus esse factum significare videtur Cyprianus monens Diaconos, & Presbyteros Carthaginiensis Ecclesiæ (*h*), ut dies, quibus Martyres excedunt adnotent, ut eorum commemorationes celebrare possit; atque id eos facere debere, *etsi Tertullus scripserit, & scribat*, inquit Cyprianus, *ac significet mibi dies, quibus in carne Beati Fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrantur bic a nobis Oblationes, & Sacrificia*. Diserte (*i*) Chrysosto-



(*a*) Lib. 8. cap. 33. (*b*) Sec. 1. diss. 19.
(*c*) In Schol. ad Can. 2. Trul.
(*d*) in Bibl. Script. Tom. 1 in Clement.
(*e*) in lib. de script. in Clement.
(*f*) Lib. *Dominus vobiscum* cap. 15.
(*g*) Bull. *Gloriosus* an. 1558. Tom. 1. Bull. Cherub. pag. 734. (*h*) Ep. 37.
(*i*) Hom. 26. in Ep. 2. ad Cor. ποῦ γὰρ, εἰπέ μοι, τὸ σῶμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι, καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐτελεύτησε. τῶν δὲ δούλων τοῦ Χριστοῦ καὶ τὰ σήματα λαμπρὰ, καὶ ἡμέραι καταφανεῖς, ἑορτὴν τῇ οἰκουμένῃ ποιοῦσαι.

fostomus, ubi Sanctorum Hominum, quam post obitum consequuntur gloriam, cum Alexandri gloria confert, negat, quo die ille sit mortuus manifesto cognosci; contra affirmat CHRISTI Servorum dies, quibus objerint, esse illustres, atque eos festos ab orbe universo haberi. Quamobrem placet a BENEDICTO XIV. in eruditissimo opere de diebus Festis (a) lata lex; si de præcipuis Fidei nostræ Mysteriis loquamur, hęc eo die evenisse, quo celebrantur; in cæteris quoque idem factum esse, quando, ut legitimo illi diei affigerentur nihil obstitit; itaque ab eo die, qui est illi sacer colligi eumdem esse, quo hoc contigit, nisi validissimis argumentis contrarium evincatur. Sed his nihil erat opus in ea, quam instituimus de natali die CHRISTI disputatione. Ita enim Festum haberi eum diem 25. Decembris, ut ille ipse vere fuerit CHRISTI natalis affirmant Patres; ex quibus Augustinus (b) *hoc primum oportet, ut noveris*, inquit, *diem natalis Domini non in Sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari, quod natus sit; ac per hoc nihil opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta est Festa devotione significari*. Qui aperte supra relatis textibus CHRISTUM VIII. Kal. Januarii natum traditione, ait, constare. Chrysostomum vero supra vidimus hoc maxime argumento revocare Grecos ad Latinorum consuetudinem, quod eo die verè natus sit CHRISTUS; quod Romani ex Cyrini descriptionis tabulis cognoscere potuerunt. Nos autem idipsum docent, & hanc traditionem constituunt, & firmant plures Patres Hieronymus (c), Petrus Chrysologus (d), Leo magnus (e), Fulgentius (f), Gregorius Magnus (g), quibus si fides Nicephoro (h), prævivit Evodius Petri in Antiochæna Sede Successor: præcipue vero id, luculentiusque tradidere Sulpitius Severus (i), Orosius (k), Cassiodorus (l), Auctor quæstionis novi, & veteris testamenti; ex Græcis etiam sequioris ævi Maximus Martyr (m), Chronicon Alexandrinum, Paulus Emesæ aliique; denique omnes, qui conceptum ponunt VIII. Kalend. Apriles; cum ideo hoc asseruerint Thomasino teste, & Tillemontio, quod natum VIII. Kalendas Januarias existimarent. Quamobrem

(a) de Epiphan. n.62.
(b) l.219.
(c) In Cap 1 Ezech.
(d) Serm.149
(e) Serm 1 de Nativ.
(f) Serm.1. de S.Steph.
(g) Hom.8. In Evang.
(h) lib.2. cap 3.
(i) lib 2 Hist
(k) Lib 7. Hist. cap 3.
(l) in Ps. 177.
(m) In Comp. Eccles. Cap.34.

brem præclarè, ut cætera, hoc quoque Petavius scripsit *(a)* CHRISTUM Dominum VIII. Kal. Jan., sive 25. Decembris natum esse, vetustissimam fuisse Ecclesiæ traditionem; atque impudens est in eo reprehendendo Basnagius *(b)*: sed aliorum Etherodoxorum præcipue confidentiam miror, qui rem veluti certam, atque exploratam ponunt, atque, & ut dixit *(c)* Petrus Allixius *solidè a Scaligero demonstratam*, CHRISTUM hyeme natum non esse. Atque idem quatuor argumenta profert; quod credibile non sit Quirinum media hyeme censum habuisse tanto populorum incommodo; quod mense Decembri ob frigus, & pluvias nox in agris a pastoribus, cum pecoribus non esset acta *custodientibus vigilias noctis super gregem suum*; ut in Latino textu dicitur *(d)*, & ut in Græco ἀγραυλοῦντες; præterea, quod antiquissimi CHRISTUM verno tempore fuisse natum crediderint apud Clementem Alexandrinum; demum quod vulgaris sententia de die 25. Decembris ex eo errore orta sit, quo Zacharias fuisse crederetur Summus Pontifex. Sed horum ultimo argumento, quod Scaliger protulerat responsum est a Petavio uberrime; nosque ex Chrysostomo vidimus, quid in eo constituendo Romani secuti sint; vetustissimam nimirum traditionem, & Cyrini tabulas; quam ratione Langius *(e)* ipse approbat. Quod si illam quoque rationem Chrysostomus attulit, fuitque ea aliorum PP. *(f)* optime Petavius monet dicendum, *prius de die Natali in 26. Decembris statuendo insitam, & πατροπαράδοτον hæsisse sententiam, cætera deinde de Zachariæ Summo Pontificatu, & id genus aliis veteri illi fundamento superstructa; cassa illa quidem, & inania, sed quæ ubi rationum ponderibus obtrita eversaque fuerint; immotum id ipsum cui insident, ac stabile persistat*. Eorum vero, qui apud Clementem Alexandrinum aliter statuunt immo Ecclesiæ Græcæ universæ auctoritati Occidentalem, & Romanam opponimus, cujus sententiam tanti fecerunt ipsi Græci, ut suam sibi deferendam putarent. Se de hoc abunde superius est actum. Alteri argumento petito a vigiliis pastorum, Casaubonus ipse respondit *(g)* scribens; *in Anglia, ubi nullus est a Lupis, & aliis noxiis animalibus metus armen-*

(a) Lib. 12. D. T. cap. 7.
(b) in Annal. politico Eccl. ad ann. 5. ante Chr. n. m. 30.
(c) Petrus Allix diatrib. de ann. & mens. Natal. Christi.
(d) Luc. 2.
(e) De an. Christ. lib. 2. cap. 2.
(f) Fuit Colniæ Ægyptii tom. 2. collect. nova PP. Græc. Montf. con.
(g) Exercitat. 2. in Baron.

*armenta saltem toto anno in agris pernoctant*: quod si in Anglia regione sane perfrigida id contingit multo magis in Palestina mitiori, temperatiorique cœlo; de qua Jacobus de Vitriaco *(a)* narrat, cum exercitus, qui sub Crucis vexillo conscriptus erat ad Jordanem pervenisset IV. Id. Novembr., ut Julio nos, vel Augusto mense solemus, in eum, ut se ablueret descendisse, atque ibidem lætissima pascua invenisse. Præterea quid cogit pastores cum armentis vigilasse sub dio dicere: vox enim Greca ἀγραυλεῖν, inquit Budæus Græci idiomatis scientissimus *(b) est rusticari, in villa degere, in Urbe non habitare*; probatque Aristotelis, & Plutarchi testimonio; atque addit; *sicque hoc verbum intelligendum apud Lucam in Evangelio natalis Dominici* καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες φυλακάς, *& pastores erant in villa ejusdem agri manentes, & vigilias obeuntes noctu in gregem suum*; optime etenim, & noster interpres simili modo vertit. Itaque argumentum, quod ab hæreticis primo fuerat productum Scaligero, & Calvisio deinde ab Grævio *(c)* Van-Tillio *(d)* non debuerat iterum inculcare Harduinus *(e)*, quem bene refutavit doctissimus vir Philippus a Turre *(f)*. Atque idem fere reponi potest ad id quod primo loco opponebatur; hyemem non esse illis regionibus adeo frigidam, ut in nostris: præterea, celeriter negocium conficere jussos, qui descriptioni præerant, vel se ab eo expedire quamprimum voluisse: nec solere, qui jubent eorum, quibus obtemperandū est incommodis multū attendere.

His itaque cum repræhensione dimissis animadversione dignum est, quod celeberrimus Isaacus, Nevvtonus de die Natali, & hujusmodi Festis scribit *(g)*? Ait enim veteres Christianos, qui primi dies festos assignarunt id unice spectasse; ut cardinalia, quæ dicuntur puncta, quando Sol ingrederetur, & e signo uno Zodaici ad aliud transferretur edocerent, ac memoriæ alte defigerent, ideo Annunciationem Virginis 25. Martii, Joannis Baptistæ natalem 24. Junii, Michaelis memoriam Septembris 29., denique CHRISTI ortum die 25. Decembris assignasse; aliaque ibi fuse persequitur. Verum necesse est sane esse

*(a)* Lib. 3.
*(b)* in commentario linguæ Græcæ.
*(c)* in not. ad Auct. de mort Persecut.
*(d)* Salom. Van-Till, in Dissert. de anno, ac die Nat. Chr.
*(e)* in Antirrhetico ad Vaillant. pag. 65.
*(f)* Monum. vet. Ant. cap 6.
*(g)* Cap. 11. observat. in Daniel.

esse hospitem, ac peregrinum in eorum temporum disciplina, ac Patrum lectione, qui hæc affirmet; quasi vero id unquam cogitaverint Sanctissimi Religionis nostræ Antistites, ut hujusmodi cognitiones insererent Christianorum animis, & fidem, religionemque subministras facerent Astronomiæ? Immo vero hanc, cæterasque prophanas scientias si aliquo in loco habebant, id erat unum, ut Religioni famularentur: cæterum contemnebant, despiciebantque, neque eas Christianorum addiscere, aut profiteri aliquem patiebantur. Fuse id probat Jacobus Balthus in egregio opere, quo antiquis Patribus injectam a Clerico Platonismi notam depellere aggressus est. Sed,& Origenes Græcorum disciplinis,si ullus unquam instructus in epistola ad Grægorium Neocesariensem *(a)* id unum agit, ut eum ab hujusmodi disciplinarum studio deterreat,atque ad divinas literas totum convertat. Ait primo;posse illum quidem ingenio suo fretum in Romanum Jurisconsultum, vel in Græcum Philosophum facile evadere: se tamen optare,ut incumbat ad Christianam doctrinam:a philosophia id unice petendũ, quod quasi prçludium ad Christianismum esse possit; necnon e Geometria, & Astronomia quçcumque ad sacras literas interprętandas conducunt. Deinde huic accomodat,quę de auro,argẽtoque Ægyptiis ab Hebræorum gente subtracto in scriptura legimus, quod isti ad Divinum Cultum adhibuerunt; tum subdit solere divinas literas e terra filiorum Israel in Ægyptum descensum in malis ponere significantes malum esse cum Egyptiis versari; idest cum Mundi disciplinis, postquam quis Divinam Religionem est amplexus. Idem fere scribit Origenis præceptor Clemens Alexandrinus *(b)*; Geometriam, atque id genus facultates excipiendas quatenus fidem tueri,ac defendere possunt. At Nevvtonus Religionis obsequia Astronomiæ tuendæ inservire vult: itaque veterum Patrum doctrinam,nec disciplinam antiquorum temporum est assecutus. Quod autem dixi de Astronomiæ, & Mathematicarum disciplinarum neglęctu, quam Christiani veteres profitebantur, intęlligere licet ex omnibus illis Patrum locis, in quibus, vel scripturas explicantes, vel quo-

[a] Extat in Philocalia cap.13., eamque inde profert Delarve Tom.1 oper.Orig.p.30.

[b] Lib.1.Strom. καὶ ἀπὸ Γεωμετρίας, καὶ Μουσικῆς, καὶ ἀπὸ Γραμματικῆς καὶ Φιλοσοφίας αὐτῆς δρεπόμενον τὸ χρήσιμον ἀνεπιβούλευτον φυλάσσειν τὴν πίστιν.

quomodocumque in Aſtronomicam quæſtionem aliquam delapſi ſubtrahunt ſe continuo, & ſententiam ſuam qualemcumque ex ſcriptura haurire malunt, quam e media Aſtronomia, & ſcriptorum Ethnicorum operibus depromere. Auguſtinus (*a*) *quæri etiam ſolet*, inquit, *quæ forma, & figura Cœli eſſe credenda ſit ſecundum ſcripturas noſtras. Multi enim multum diſputant de his rebus, quas majore prudentia noſtri Auctores omiſerunt ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes, quod pejus eſt, multum prolixa, & rebus ſalutaribus impendenda temporum ſpatia. Quid enim ad me pertinet, utrum cœlum, ſicut ſphæra undique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex una parte deſuper velut diſcus operiat &c.*: ac deinde cum ſibi veluti ſuggeſſiſſet Pſalmi illud; *qui extendit Cœlum ſicut pellem*; quod adverſari videbatur iis, qui ſphæricam figuram Cœlo tribuebant, ſubjungit; *ſit ſane contrarium ſi falſum eſt, quod illi dicunt. Hoc enim verum eſt, quod divina dicit auctoritas potius, quam illud, quod humana infirmitas coniicit*. In eamdem quæſtionem Ambroſius (*b*) ingreſſus ad extremum ſcribit; *quæ pluribus colligere poſſmus, ſi quid ad ædificationem Eccleſiæ iſta proficere videremus. Sed quia his occupati infructuoſum negocium eſt ad illa magis intendamus animum, in quibus vitæ ſit profectus æternæ. De qualitate igitur, & ſubſtantia Cœli ſatis eſt ea promere, quæ in Iſaiæ ſcriptis reperimus &c.*, multaque in hanc rem diſputat, in qua diſputatione omnino,expreſſit Baſilii locum (*c*), in quo idem,quod Ambroſius, & totidem ferè verbis Græce explicat. Atqui hęc nimirum illa de terræ figura, de Antipodibus communis plurimorum ſententia; de quibus luculenter more ſuo Petavius (*d*). Qui plura in eorum confirmationem, quæ ſupradicta ſunt PP. loca inſpicere velit, adeat Launojum de var: Ariſtot:ſortuna,qui ea luculenter collegit. Mirum etiam accidet fortaſſe alicui in Paſchatis terminis, definiendis, in pleniluniorum indagandorum ratione tamdiu laboratum, exiguo fructu; ut ex iis patet, quæ Bucherius, Petavius, atque earum rerum diſputatores, ex veteribus tradiderunt; cum tamen illis temporibus excoleretur Aſtronomia diligentius; quemadmodum Ptolomei opera declarant, qui M. Aurelio Impera-

(*a*) Lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 9.
(*b*) Lib. 1. Hexam. cap. 6.
(*c*) Hom. 1. in Hexaem.
(*d*) Theol. Dogm. tom. 3. lib. 1. de opif. ſex dier.

peratore floruit proximè ante Victoris Papæ tempora, quibus ille de Paschate controversiæ, vehementer efferbuerunt. Sed abhorrebant a Philosophiæ, atque Astronomiæ studiis veteres Christiani, atque eorum plerique Ethnicorum libros in manus sumere sibi religioni ducebant. Quamobrem inopportunè satis Astronomiā ad festos dies constituendos traduxit Nevvtonus, & quæ traditione maxime sunt definienda ea neglecta Astrorum motibus constitui debere somniavit. Vix enim ea ex animo, serioque summum virum scripsisse mihi persuaserim; unde pluribus cum eo agendum non est. Quamquam quæ dixit, ut nullo teste dixit, sic negare nos nullo allato argumento possumus; & facile fuit ex tot solemnibus diebus aliquot reperire, qui in anni cardines, & signorum Zodiaci initia proxime incurrerent. Præterea cum de die CHRISTI natali hìc agamus, quod hunc spectat, revocare contra Nevvtonū possimus, quæ supra sunt a nobis fusius disputata. Maneat igitur liquere de mense, ac mensis die CHRISTI Nativitate insigni.

Possuntne ergo, qui hoc charactere utuntur certum annum definire Me quidē judice nequeunt. Etenim est omnino incertum dies CHRISTI natalis in quam feriam inciderit; quod etiam Scholastici *(a)* affirmarunt. Etenim licet Auctor libri de argumen. Lunæ inter opera Bedæ habeat CHRISTUM natum Feria III.; Baronius *(b)*, & Salianus *(c)* pro Feria VI. adducunt Hesychium *(d)*, Anastasium Sinaitam, Anastasium Nicænum. Feriam IV. tuetur Eusebius in fragmentis *(e)*, Cedrenus, & Maximus Monachus. Denique plurimi, quos Menochius *(f)*, Decherius *(g)*, Suarez *(h)*, Salianus recensent diem Dominicum, pro quo etiam profertur Canon quidam VI. Synodi. Ex his de Feriæ opinor incertitudine constat. Quamvis enim plerique ad diem Dominicum accedere videantur, tamen sunt illi Auctores ævi sequioris, vel suspectæ fidei; ut Canon ille Synodi VI., quem Surius quoque, & deinde cæteri inter octo adscribunt, qui falso illi Synodo tribuuntur. Præterea Deckerio, & Saliano absurdum videtur pios Conjuges die Sabbati iter contra præscripta Judæorum fecisse, vel totum Sab-

R batum

*(a)* Suarez tom. 2. in 3. sect. 4. Deckerius Theol. 6 &c.
*(b)* In Appar.
*(c)* Ad A. M. 4052.
*(d)* Inter selecta post Chron. Pasch. ex recens. Ducangii f. 6.
*(e)* Ibid.
*(f)* Vitæ Chr. l. 1. cap. 13.
*(g)* Annot. 3.
*(h)* Loc. cit.

batum Bethlemi substitisse, quin pretio locum, aut precibus impetrarent. Additur; a veteribus, qui Dominicæ diei præconia recensent hoc, quod fuisset certe maximum, atque in primis enumerandum præteriri. Sunt autem hi potissimum Justinus (a), Theodulphus Aurelianensis Episcopus (b), quos longo intervallo secutus est Andronicus Constantinopolitanus (c), qui ejus diei excellentiam ex lucis conditu repetunt, ex CHRISTI Resurrectione, ex Paracliti Spiritus descensu, ex mannæ pluvia: de CHRISTI ortu, quæ maxime in illius diei commendatione commemorari oportebat, tacent. Sed longius quam par erat disputationem protraximus, & nihil erat nobis hujusmodi argumentis opus: quandoquidem Dissertatione I. fuse explicavimus Feriarum ordinem haudquaquam esse nobis certo cognitum, ut Canones nostri ad antiquas Ferias indagandas non sint idonei. Concludimus ergo prorsus inutilem esse hanc notam ad CHRISTI natalem annum investigandum.

## §. III.
## *De bellorum cessatione tempore* CHRISTI *natali.*

TRanseo ad bellorum cessationem, & communem universo Romano Imperio pacem, quæ sub CHRISTI ortum extitisse perhibetur. Eam notam Prophetæ nobis suppeditant, præsertim Isaias, ut eum Hieronymus interpretatur, qui idipsu aperte asserit, & Eusebius etiam, Orosius, aliique, quos Petrus Huetius producit (d). Maldonatus etiam (e) affirmat hoc Ecclesiasticos omnes testari Auctores. Quamobrem bene Kepplerum id negantem refutavit Norisius (f); qui etiam de tempore, quo sub Augusto pacatus est orbis, & fores Jani clausæ luculen-

(a) Apol. 2. ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶ ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.

(b) Cap. 24. Capit. *illud: dies Dominicus, quia in eo Deus lucem condidit, in eo mannam in Eremo pluit, in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra a mortuis resurrexit, in eo Spiritum Sanctum super Discipulos infudit.*

(c) Dialog. contr. Judæos in collect. Stevart. cap. 38.; *in hac Israelitarum ex Ægypto fuga, & in Chananæam transitus, in hac promissæ terræ sortitio, & ingressus; in hac Incarnatio; in hac ejus ex mortuis resurrectio.*

(d) De n. Ev. prop. 9. cap. 8.

(e) in cap. 2. Luc.

(f) Dissert. 2. in Cen. cap. 10.

culenter disputat, & ex eo Pagius (*a*). Baronius (*b*) tradit Augustum primo Janum clausisse post Actiacum bellum Augusto V.,& Sexto Apulejo Coss.:deinde iterum confecto Cantabrico bello Augusto IX., & M. Silano Coss.: demum tertio mandasse, ut clauderetur Ælio Tuberone, & Fabio Maximo Coss., sed ne fieret Dacos Istrum transgressos impedimento fuisse. Id ille ex Dione collegit: Janum vero ter clausum fuisse ex Svetonio. Norisius, de Svetonii lectione (est enim varia, & non Augustum *ter* Janum clausisse, sed vel *tertio*, vel *pariter* aliqua habent exemplaria) fuse disputat, vulgaremque cum Baronio, Lipsio, & Casaubono tuetur; probatque id accidisse l. a. V.C. 725., ante communem æram 29.; & iterum a.729. Cantabris victis. Hæc ad rem nostram parum; nam tempus, quod investigamus certum est antecessisse. Temporis, quo tertio id Augustus fecit nullus antiquus Auctor disserte meminit: Norisius (*c*) tamen Romanarum rerum scriptoribus pervolutis arbitratur in id spatium incidisse, quod ab a. V.C. 748. ad 751. intercessit. Nullum enim eo intervallo bellum ab ullo Historico commemoratur. Antea vero a.747. Tiberium Dio narrat coortis in Germania motibus ad bellum profectum esse; immo initio 748. ab eodem Dione apud Zonaram refertur tumultus Armeniæ, quem Artavasde Rege creato sedavit. Post vero bella rursum a. 753. erupisse constat ex Historia Caii Cæsaris, & Dione in excerptis Valesianis; quæ diutius nunquam ferme intermissa durarunt usque ad Neronem. Sunt præterea de eo ipso conjecturæ allatæ a Norisio non contemnendæ; qui etiam Orosium impugnat narrantem (*d*) duodecim annis clausum Janum perstitisse, dum CHRISTUS nasceretur anno V.C. 752. Verum tempus id, quo constituendo hactenus conjecturis quibusdam actum est mihi certius depræhendere, & intra spatium paulo arctius, ac Norisius fecerat constringere visus sum inscriptione, quæ Æmeritæ in Hispania extare dicitur; legiturque apud Gruterum (*e*).



(*a*) In Appar.
(*b*) ad an.1. num.9.
De cenot. Pis. diss.4 cap.9.

(*d*) Lib.6. cap.22.
(*e*) pag.CXLIX.

IMP. CAES. DIVI. F. AVG. PON. MAX.
COS. XII. TRIBVNIC. POTEST. X. . . IMP. VIII.
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO
TEMPLO. IANI. CLVSO. ET. REP. PO
ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS.
INSTIT. REFOR. VIAM. SVPERI
ORVM. COSS. TEMPORE. INCHO
ET MVLTIS. LOCIS. INTERMISS
AM. PRO DIGNITATE. IMPERII
LATIOREM. LONGIOREMQ
GADEIS. VSQ. PERDVXIT
XXX.

Card. Norisius æxistimavit *(a)* corruptum esse annum Consulatus, & legendum COS. XI. Tribunitiæ vero Potestatis notam recte descriptam fuisse. Attamen manifestum est in hac inscriptione numerum Tribunitiæ Potestatis integrum non legi; idque adnotatis punctis Gruterus significavit: item male exscriptum esse constat numerum adjectum titulo Imperatoris; siquidem neque ille concurrit cum Consulatu Augusti XII. Quamobrem potius corrigenda est ex alia, quæ apud eumdem Gruterum legitur *(b)*; item apud Boissardum *(c)*; & nos sæpe vidimus ad portam Esquilinam:

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII.
TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII.
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT

Cui consonant nummi apud Occonem:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVGVSTVS PONT. MAX.
TRI. POT. XIX. IMP. XIIII. COS. XII.

Itaque ex hac inscriptione conjecturam facere licet de illa prima, in Tribunitia Potestate deesse numerum IX., & in acclamatione Imperatoria signanda pariter detrito lapide non extare ultimam hanc notam I., & pro X. lectum V. quod quam sit facile rerum hujusmodi scientes norunt, nosque non semel experti sumus *(d)*. Muratorius quoque in novo Thesauro *(e)* habet inscriptiones duas, in quibus Consulatus XII. con-

(a) De Cenot. Pis. Diss. 2. cap. 9.
(b) pag CLXXVII.
(c) Tom. 6. pag. 139.
(d) Alia etiam monumenta plane his consonantia adducunt Lucenses Pagi adnotatores tom. 1. Operum Baron., quibus illam primam Inscriptionem emendasse postea vidimus, ut nos fecimus.
(e) Tom. 1. pag. 220.

conjungitur cum titulo Imp. XIIII. Jam vero, ut Gutterus (a), Pitiscus (b), Blanchinus (c), aliique docent Tribunitia Augusti Potestas procedit a V. Kal. Julii Augusto XI., Cn. Calpurnio Coss. ideft anno ante CHRISTUM 23. Annus ergo Tribunitiæ Potestatis XIX. incipit V. Kal. Jul. Augusto XII., & Cornelio Sulla Coss., V.C. 749. ante Christianā æram 5.; ergo post eam diem hoc ipso anno posita est inscriptio jam clauso Jani templo. Dicendum ergo est id non evenisse nisi, vel hoc ipso anno, vel anno superiore. Ergo tunc solum communis toto Romano Imperio pacis tempus statuendum est, & cessationis bellorum. Obstare videtur rationibus nostris nummus a Blanchino productus (d), quem habet etiam Vaillantius (e) Coloniæ Cæsaraugustanæ, in quo caput Augusti extat cum literis AVGVSTVS DIVI F. COS. XI. DES. XII. TR. POT. XI.: X. Verum diligentissimus Blanchinus punctis adnotatis in numero Tribunitiæ Potestatis significare voluit locum patere, a quo unitas abrasa sit, ita ut verè fuerit POT. XIIX., quod erat animadvertendum, ne quem Vaillantius, sive Vaillantii editiones aliquæ, in quibus puncta illa prætermissa sunt deciperent. In Muratorii lapide uno (ex quo alterum corrigit) conjunctus invenitur Consulatus XII. cum Tribunitia Potestate XX., & in nummis sæpe. Quare Vaillantius putavit Consulem eum XII. processisse Trib. Pot. XX. sed fallitur. Exhibent hanc conjunctionem nummi, quod alium Consulatum XIII. non susceperit nisi a. V.C. 752; & notum est in Imp. donec novus susciperetur ultimum exprimi solere.

Cæterum hinc ad rem nostram colligi nihil aliud potest, nisi ab anno V.C. 748., sive Juliano 40., ante æram Christianam 6., ad annum 751. cum tunc solum fuerint pacata omnia tempus, quod CHRISTI ortui tribuendum est, constringi debere, quis vero sit ex his tribus certo ex hoc charactere definire non possumus. Multum tamen est, quod illi debeamus: nam longissimum temporis spatium, quo a Chronologorum sententiis supra recitatis permittebatur divagari natalis CHRISTI annus est in angustum coactus ad annos tres. Præterea PP. sententię fere omnes, & celebres illæ, etiam de an. Aug. 41., & 42. ex hac præcipue nota repudiantur, atque inter eos Hierony-

(a) De Offic. Dom. Aug. l. 19.
(b) In Vit. Oct. Octav. cap. 27.
(c) Tom. 2. Anast.
(d) Tom. 2. Anastas. pag. 165.
(e) In numm. Colon.

ronymus, qui Isaiæ locum illum (a) declarans; *& erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montis, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes . . . conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium &c.* ait id anno 41. Augusti evenisse sive 28. (b), *quando sub Præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & Evangelicæ doctrinæ pax Romani Imperii præparata*. Maximè vero hæc nota eos redarguit, qui ante annum 748. CHRISTI ortum retrahunt Harduinus, & Manius.

## §.IV.
## *De Cyrini descriptione.*

DE Cyrini descriptione nunc est dicendum, quæ tempori huic otioso, bellisque vacuo maxime convenit; quam quæ Lucas memorat scribens (c); *factum est autem in diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino: & ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam Civitatem; ascendit autem, & Joseph a Galilæa &c.* Atque hujus descriptionis utinam liceret nobis tempus reperire: extaret annus, cui consignare CHRISTI nativitatem tuto possemus, quem hac ratione assecutum se putavit Paulus Petavius narrans sibi *variè agitato tandem hunc sese obtulisse portum* (d). In id igitur diligenter inquiramus. Josephus, & Cyrini descriptionem memorat, & tempus, quo facta est significat, nimirum proximè post Archelai relegationem (e). At hic vada, hic scopuli. Etenim Archelaus, ut idem narrat (f) relegatus est anno regni ejus decimo, vel nono saltem, ut idem alio in loco scribit (g). Itaque multo serius Patris ejus Herodis morte, quo vivo, ut Matthæus testatur (h) CHRISTUS est natus. Non ergo explicat, sed involvit magis Josephus tempus, quod exquirimus, atque in eas salebras conjicit, unde non ita facile evadere possimus.

Eva-

(a) Cap.2.
(b) Loc. supr. cit. §.1.
(c) Cap.2.
(d) In Diss. de epoch. annor. Incarnat.
(e) In fine lib. 17. τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ Σύρων πέμπεται Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος ἀνὴρ ὑπατικὸς ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ. Idemque fere habet initio lib. 18.
(f) Loc. cit.
(g) Lib. 2. de excid. cap. 6.
(h) Cap. 2.

Evasere Maldonatus (a), & Calinus fidem abrogantes Josepho. Verum Josephus fidei suæ patronos, testesque habet nummos veteres, & plura monumenta temporum illorum. Beza, aliique Hæretici, quos Baronius notat (b), pro temeritate illa, qua confidentissime rebus etiam sanctioribus manus inferunt, pronuntiarunt verba illa; *hæc descriptio facta est a Præside Syriæ Cyrino*, nequaquam esse Lucæ manu conscripta, verum ex marginali adnotatione nescio, cujus, casu in textum obrepsisse. Sed, & doctissimi viri, probique Catholici, Henricus Valesius (c), Petrus Daniel Huetius (d) scindere nodum, quam solvere maluerunt contendentes paulo adulteratum Lucæ textum in Quirini nomine; atque alter pro Cyrino legit Saturninum; alter pro κυρηνίου in Græco textu reponit κυιντιλίου; nimirum Quintilium Varum Saturnini successorem, decessorem vero Cyrini. Verum, & Quirinium, vel Cyrinum, vel Cireniũ, vel Kerinium (variant enim) habent exemplaria omnia; & quod caput est Cyrinum vulgata lectio. Prçterea Justinus Martyr (e) Cyrinum ipse quoque nominat, testesque allegat publicas tabulas; idemque paulo post repetit, & alibi (f) constanter eamdem retinet. Hi ergo putarunt in Lucç textu nullâ memorari Cyrini descriptionem: idem alii defenderunt salva sacrorum Codicum fide. Sunt autem hi Hervvartus, Keplerus, Henschenius (g), Joannes Clericus (h), qui omnes τὸ πρώτη, cui genitivus additur ἡγεμονεύοντος vim comparationis habere putant; *ut perinde sit*, inquit Hervvartus (i), *ac si diceretur, descriptionem illam esse priorem, priusque factam, quam Quirenius Syriæ præficeretur, præfecturamque ipsius gereret.* Atque idem Hervvartus argumenta in eam rem adducit 34., locaque plurima, in quibus idem fere observatur loquendi modus (k). De hac explicatione Norisius (l) ait, eam se nec probare audere, nec improbare, additque: *si novitatem excipias eas difficultates emollit, quibus viri eruditi cum se expedire*

(a) In cap. 2. Luc.
(b) In Apparat. num. 82.
(c) In Euseb. loc. cit.
(d) D. E. prop. 9. cap. 10. num. 3.
(e) Apol. 2. κώμη δέ τις ἐστιν ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου.
(f) In Dial. cum Tryph.
(g) Loc. alibi citat.
(h) H. E.
(i) Ut Joan. 15. ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ γινώσκετε ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, vulgata priorem.
(k) Diss. 2. in Cen.
(l) Cap. 241.

*re non possent de administratione Syriaca Quirini, pleraq; non modo sine teste, ac tabulis, verum etiam adversus historiæ fidem in literas misere.* Si cui hęc minus arrideat, reliquę sunt opiniones duæ: vel CHRISTUM ortum quidem in ea descriptione, quam Josephus memorat, sed male ab illo tempus consignatum; vel duplicem censum egisse Cyrinum, & hunc Josephi diversum ab eo, quem Lucas tradit. Primam opinionem amplexus est, Valesio judice, Eusebius. Itaque in Chronico tumultum illum Judæ Galilæi, qui descriptionem a Cyrino factam subsequutus est sub ortum CHRISTI, & extrema Herodis tempora collocat. Idem sentit ex recentioribus Maldonatus *(a)*, & Josephi acerrimus repræhensor Calinus. Contra hos arguit Hugo Grotius *(b)*, qui Josephum tam diligentem rerum Judaicarum inquisitorem, & cui Romana quoque archivia patuerint deceptum putent, in re tam obscura eos ipsos valde decipi non dubitandum. Alteram secuti sunt plerique recentiorum; qui quidem monent ter censum Augustum egisse; ut Svetonius docet, & Ancyranæ tabulæ, quas in Pandectis suis Turcicis Leunclavius, in Thesauro Gruterus, Andreas Scottus, Lipsius, Monelia, aliique repræsentant. Primus habitus est Agrippa VI., Augusto II. Coss., qui annus est Julianus 18. Alius Marcio, & Asinio Coss. id est Juliano 38. Tertius duobus Sextis Coss. Juliano 59. Alterū ex his illum fuisse, quem Lucas memorat arbitratus est Huetius. At Petavius *(c)* diversum ab illis tribus, & extraordinarium fuisse putavit, ideo institutum, ut Augustus breviarium illum suum, in quo descriptæ erant opes omnes, ac vires Imperii, quemque Dio memorat *(d)*, conficeret. Idem sentit Lamy *(e)*, Chisullus, Norisius *(f)*, Hugo Grotius *(g)*; nec longe abeunt Scaliger, & Casaubonus. Hi monent censum hunc a capitatione diversum, quemadmodum hæc vox accipi postea consuevit sequiori ævo, nec vectigal ullum injungebat: quare mirum non est, si in Herodis regno fieret, eamque Josephus non memorat: nihil enim in ea evenerat memoria dignum. Præterea Cyrino fuisse demandatam, quod id temporis in Oriente degeret, & ob recentem de Homonadensibus victoriam esset tota Asia celebris; extraordinarium Imperium illi est

(a) In cap. 2. Lucæ.
(b) In cap. 2. Lucæ.
(c) D. T.
(d) Lib. 56.
(e) Apparat. pag. 1. cap. 10.
(f) Loc. cit. §. 12.
(g) Loc. cit.

est collatum; ideo legi de illo apud Lucam ἡγεμονεύσαι τῆς Συρίας; & apud Justinum ἐν Ἰουδαίᾳ γενέσθαι ἐπιτρόπου; nam voces ἡγεμονία, & ἐπιτρόπου imperia quævis extra ordinem significant; & Josephus non semel Voluminum, & Saturninum ἡγεμόνας dicit. Hæc illi præsertim, ut argumentis satisfacerent contra adductis attulerunt; quæ argumenta collegit Valesius. Possinus (a) Præsidem Cyrinum vocari putat ob Syriacam Præfecturam postea adeptam, ne alius ab eo putaret, & quia id multo eum notiorem faciebat. Sed aliquando ad hujus descriptionis tempus investigandum, ex quo natalis CHRISTI annus elici potest accedamus. Norisius probabile censet hunc censum instituisse Cyrinum, quo tempore in Syria expeditione contra Homonadenses perfecta, morabatur; & ad hujusmodi tempus investigandum Tacitum in subsidium vocat scribentem Cyrinum expugnatis Homonadensium Castellis Tiberium Rhodi agentem coluisse: si ea obsequia præsenti præstitit, ait Norisius, accidisse hoc intra a. V. C. 748., & 755., quo temporis spatio Tiberii apud Rhodum secessus definitur. Sed latius est hoc intervallum, quam hic postuletur; nec vero hujusmodi conjecturis agi placet, quæ labascere omni ex parte videntur. Itaque nihil ex Cyrini extraordinaria potestate, & expeditione colligere licet.

Videamus an liceat aliquid ex Præsidum ordinariorum tempore. Atque hic mirum est quantopere recentiores laborent in Syriæ Præsidum temporibus ordinandis, in nummis conquirendis, producendisque. Fecit hoc, sed alio in argumento (b) optime Norisius, ex quo sua cæteri hauserunt, de Varo præcipue, & Saturnino, qui circa natale CHRISTI tempus inciderunt. Vari duos nummos protulerunt Cardinalis Norisius, & Nicolaus Toinardus (c); ex his eos se accepisse testatur Pagius (d). Post Pagium eos repræsentarunt Vaillantius (e), Blanchinus (f), Monelia (g), Lamy, Schelstratus &c. His in nummis eadem est epigraphe ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ in area vero diversi anni scalpti leguntur: in uno ΕΚ idest a. 25., in altero ϛΚ a. 26., in 3. ΖΚ a. 27. probat autem Norisius notis his designari annos imperantis in Syria Augusti, qui

S cum

(a) In Epist. apud Bolland. in Propyl.
(b) In Cenotaph. Pisan.
(c) Hos Toinardus in thesauro Regis Christ., & Norisius in Medicæo invenit.
(d) Apparat. num. 136.
(e) In Dissert. sæpe memor.
(f) In Anastas.
(g) In prima Tabula Dissert. annexa.

cum inierint a. V.C. 723. Septembri ab Actiaca pugna Augusto III., & Valerio Messala Coss., ut ex aliorum Præsidum nummis, præsertim vero Silani deducitur *(a)*. Prior Vari nummus significat ipsum Syriæ præfuisse anno Augustei Imperii in Syria 25., qui exiit mense Augusto a. V.C. 748., aliique nummi hanc Vari Præfecturam extendunt ad annum 750. Itaque idem Norisius, etsi constituerat antea Vari in Syriam adventum a. V.C. 750., & ejus decessorem Saturninum Syriæ gubernationi admoverat superioribus annis; idemque ante Norisium multi senserant; tamen, & ipse alibi sententiam suam mutavit, & postremam hanc opinionem deinceps amplexi sunt viri docti. At quid hoc interest ad annum CHRISTI Nativitatis constituendum? Multum sane arbitratur Pagius, & post Pagium aliqui, quorum quidem alii eo Numismate apertè demonstrare sibi persuadent CHRISTUM 40. Jul. natum, alii vero 39. Etenim Tertullianus contra Christianorum hostes disputans scribit *(b)*; *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuissent.* Hoc autem cum D. Lucæ videatur contrarium, qui Cyrinum descriptionis auctorem facit, ut cum eo ipsum componat Pagius ait *(c)*, Tertullianum ordinarium Magistratum Syriæ nominasse, qui tamen ea in re exequenda Quirino erat subordinatus, qua posita interpretatione, cum ex Numismate constet Varum anno 25. Antiochæno, qui magna ex parte 40. Jul. congruit Saturnino successisse ita coniicit *(d)*: *Si verum est*, inquit, *quod Tertullianus scribit, Saturninum scilicet censum in Judæa egisse, Quinctilii Vari ejus successoris initium ab hoc anno* (40. Juliano) *removeri non potest; nec* CHRISTI *Salvatoris nostri Nativitas ulterius differri.* Ulterius differri? Immo inquiam ego nec eo anno consignari; oblitum enim necesse est Pagium paulo ante scripsisse CHRISTUM Decembri natum; aliter enim ex eo, quod crediderit Saturninum Syriæ adhuc Præsidem a Tertulliano dici ejus census Auctorem, quo CHRISTUS descriptus est, numquam intulisset CHRISTUM natũ an.40.: cum Decemb. hujus anni jam a tribus mensibus annus, quo Saturnino successit Varus desierit. Quare eo in errore utpote evidenti nullum nancisci debuerat sectatorem, & minime omnium

(a) Eos exhibet Schelstratus to. 1. Ant. Eccl.
(b) Lib. 4. contra Marcionem cap. 19.
(c) Ibid. num. 129.
(d) Pag. in App.

omnium Eruditum Fastorum Sigonii Illustratorem *(a)*, & Continuatorem, qui tamen ait venia donandos eos Auctores, qui CHRISTI natale in annum 41. differunt, eo quod Vari nummum non inspexerint, quos inter, & Norisium primum ejus inventorem mirum est nominare. Præsertim cum Norisius, qui eo loco, quo Saturnini Præfecturam deduxerat ad an. V.C. 750. scripserat: *hoc Tertulliani testimonio mirifice confirmatur sententia de natali* CHRISTI *a.V.C.* 749., *nam hoc anno Sentius Saturninus Syriam regebat (b)* alibi, post nummum inspectum, ubi revocat sententiam suam de Saturnini tempore *(c)* scribat: cum Syriæ præesset Quintilius Varus CHRISTUM natum; & ita sane loqui debet, qui eum natum vult Decembri, & an. 40., vel insequentibus: illud enim probat Pagii argumentum, ipsiusque sententiam evertit. Quod cum probe perspexerit Harduinus, eadem tamen Turtulliani textus interpretatione uti vellet, primum ætate, deinde etiam anno 39. natale CHRISTI consignavit. Atque hoc quidem necesse est asserere eos qui Saturnino Syriæ Præside CHRISTUM natum ex Tertulliano colligiunt. Non proinde belle magis Harduinum hac in re versatum arbitror: unum enim, ut vitaret errorem in plures fortasse graviores incidit, ut CHRISTUM natum diceret non Decembri contra Ecclesiæ traditionem, neque Mundo in pace composito. Equidem illud sæpe accidit, ut vix error vitari queat, cum Auctores, aut monumenta vi quadam ad aliquid conficiendum pertrhauntur, quod in re nostra accidit. Neque enim aliquid, aut nummi, aut Tertulliani locus, quo CHRISTI natalis tempus deprehendatur seorsim suppeditant.

Nummi illi Vari nullum omnino hic usum habent, nisi illis Tertulliani locus adjungatur; atque ita adjungatur, ut τὸ *per Sentium Saturninum* valeat *Præside Sentio Saturnino*. Hoc vero est quod omnino pernegamus; Omitto illum loquendi modum, quo Sentius Saturninus nominatur omisso Præsidis titulo, & adjecta particula *per*, quæ significare videtur illum fuisse dumtaxat census illius administrum, non videri Viro tanta dignitate ornato convenire; illud dico, primo cum ea explicatione stare non posse Tertulliani ipsius Sententiam de anno 41. Augusti: manifestum est enim Saturnini Præfectu-

S 2 ram

*(a)* Nov. edit. Sigonii tom. 1.
*(b)* Diss. 2. in Cenotaph. tom. 3. Op. p. 418.
*(c)* Dissert. 3. de epoch. SyroMac. Tom. 3. Oper. pag. 266.

ram usque ad eum annum minime pertinere. Detur hoc longinquitati temporum, ut Tertullianus veram de anno natali CHRISTI sententiam ignoraret, peccaretque in eo assignando; an etiam hoc, ut annum 41. August. non videret abesse aliquantulum ab anno V.C. 748.? Si e publicis tabulis, ut isti volunt Præsidem tempore descriptionis, & Saturnini nomen expressit, non etiam annum ibi legerit, qui certo erat adscriptus? Deinde affirmo verba illa *per Sentium Saturninũ* plurimas, easque probabiles interpretationes pati posse, atque earum aliquam, quam repudiare isti nullatenus possint. Omitto Baronii sententiam, qui locum illum ita declarat, ut velit Saturninum Consulem significari. Quid si dicatur Saturninum census executorem, atque administrum fuisse, ea nimirum ratione, qua plerique, ut vidimus, Evangelistæ verba de Cyrino descriptionem hanc instituente exponunt? Qui id poterit recusare? Lucæ locus; *hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*, Cyrinum Syriæ ordinario imperio præfuisse descriptionis tempore non significat; significabit Tertulliani alter; *census constat actos per Sentium Saturninum*? Itaque Pamelius (a) Tertullianum ita explicat, ut putet significari Saturninum censum quidem egisse, nec tamen Syriæ præfuisse; additque, ut Tertullianum cum Luca conciliet, id ita fieri potuisse, ut Saturninus Cyrino in censu peragendo collega assignaretur. Huetius (b) opinatur cœptam hanc descriptionem a Saturnino, a Cyrino absolutam. Plures quidem annos in censu instituendo peractos significat nobis Tacitus cum Germanici censum describit, atque uberius de Trajano, qui ferme quadriennium in eo instituendo impendit. Itaque cum in hoc non de hominibus solum perscribendis, sed de facultatibus etiam, reditibusque singulorum percensendis ageretur nil mirum si uno anno, atque unius tantum opera perfici non potuit: præsertim cum credibile non sit Augusto, ad quem tabulæ simul perfectæ erant mittebantur, breve aliquod tempus tot rebus simul cognoscendis, & ad examen suum revocandis satis esse potuisse. Animadvertit hoc etiam vir doctissimus Petrus Huetius (c): quamquam ille a Saturnino cœptum putat cum Syriam gubernaret. In tanta probabilium interpretationum varietate

(a) In loc. cit. Tertull.
(b) Loc. cit.
(c) Loc. cit.

tate licebit fortasse, & nostram peculiarem interponere, quæ eo tendit præcipue, ut Tertullianum non solum cum Evangelista, sed & secum ipsum conciliet, quod facillime præstatur, si dicamus censum, quidem cœpisse cum extraordinario Imperio Quirinum, eumque a Luca nominatum, quia revera CHRISTUM descripserit, vel anno 40., vel insequentibus, prosecutum autem censum per ipsum Saturninum jam Præfectura functum, item cum extraordinario Imperio, vel ex Cyrini subdelegatione, quem cum, vel ex tabulis, vel ex alio monumento constaret censum produxisse usque ad annum 41. Augusti, quo CHRISTUM natum arbitrabatur Tertullianus ideo censum, quo CHRISTUS descriptus est, dixit per Sentium Saturninum tunc in Syria habitum. Aut hæc, aut quæcumque alia magis arridet amplectatur optime Tertullianus explicatur dummodo illa repudietur, quæ de Saturnino Syriæ Præside Tertullianum intelligit hæc enim omnia pervertit, & loco Tertullianum cum Evangelista conciliandi, illi eum repugnantem demonstrat. Etenim ex superiori charactere patet CHRISTUM non ante annum 40. natum, ideoque neque Evangelistam annum eo superiorem indicare, quod tamen contra faceret Tertullianus, ut vidimus, si CHRISTUM a Saturnino dum Syriæ Proconsul esset descriptum eo textu affirmavit; quare ea interpretatione nemo in posterum abutatur. Additur cum extraordinarium, quiddam esset iste census, ut diximus, nihil videtur ad ordinarium Præsidem, qui plurimis aliis negociis implicabatur pertinuisse: non enim erat leve, quoddam, in quo mediocris quædam diligentia, impensaque temporis requireretur. Redeo igitur ad Tertulliani locum, atque ajo, utcumque versetur Saturnini Præfecturam ne leviter, quidem subindicare. Quod si est, nihil hic Vari nummi, nihil in eis explicandis doctissimorum hominum labores faciunt; videturque hoc ad intemperantiam quamdam ætatis nostræ spectare, qua nonnulli ex veteribus nummis quidlibet extundere se posse confidunt; ideoque illos omni in loco, ac quolibet in argumento importunissime explicant, atque inculcant. Nolumus tamen nobis eruditi viri succenseant, quasi præclarissimæ facultati detrahere velimus. Itaque nummum alium data occasione nos quo-

quoque producimus e Blanchiniano Cimelio (*a*): ad Saturninum pertinet, estque similis omnino Vari nummis, nisi quod Saturnini nomen præfert ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΣΑΤΟΥΡΝ
ΟΥΟΛΟ , & annorum numerum in area ΕΛ idest 35., quo quidem, si eadem sit, ac in Vari nummis epocha annus indicatur æræ communis 5. Monelia censet (*b*) Saturninum aliquem Varo, & Quirino Syriæ Præsidibus interponendum, atque id existimat erroris causam obtulisse Tertulliano; quod cum descriptionem factam a Quirino sub CHRISTI ortum in Evangelio legeret, de ordinaria Quirini intelligendum putaverit illum locum; cum vero in publicis tabulariis a Saturnino legeret inceptam, & Saturnini nomine signatam, affirmavit CHRISTUM natum in discriptione facta per Sentium Saturninum. Verum hujus alterius Saturnini Præfecturæ vestigia nulla fuit apud veteres, & commodius res explicari potest, vel annos hos putando a nova aliqua epocha: pluribus enim epochis usos Antiochenos tradit Norisius (*c*), vel quod verosimilius puto, causando errorem, quod lectum sit Λ pro Κ de trita vitio temporis suprema litera; quam ultimam explicationem postea vidi placere Cl. Heineccio (*d*). At enim, quem nos tulimus tam longe disputationis de hoc charactere fructum? Equidem, præter errorum ab aliis admissorum notationē, puto nullum: non enim aliquid elicitur, quod annum CHRISTI nativitatis disertius, ac superiores characteres fecerunt significet, aut arctius intra angustiores terminos constringat; quod etiam sensit Seneschallus (*e*), non est tamen exiguus fructus existimandus, in quæ doctissimi quoque viri impegerunt cognoscere.

## §.V.

## *De tempore mortis Herodis.*

AD *verum* CHRISTI *natalem investigandum*, inquit Petavius (*f*). *Herodis epocha plurimum confert* μάλιστα τὸ πᾶν. Idem, quod Petavius cæteri sensere; ita ut Norisio teste (*g*), qui-

(*a*) Tom.2. Anastas. pag. 165.
(*b*) Cap.2. num.21
(*c*) Diss 3. de epoch. Syro Maced.
(*d*) Differt. ut in Sylog. opus.
(*e*) Quæst 1. cap.14.
(*f*) Lib.10. D.T cap.67.
(*g*) Diss.2. in Cenotaph. cap.6.

quicumque annum CHRISTI natalem sibi investigandum sumpserunt, Herodis tempus, & Herodiani regni epocham fecerint dissertationum suarum argumentum. Michael Seneschallus vir eruditus, & diligens *(a)* cæteros characteres minus idoneos dicit; hunc unum relictum esse, unde æruì annus CHRISTI natalis possit, quamobrem fuit in primis hic character a nobis sollicitandus. Et veteres quidem Herodiani regni anno CHRISTI nativitatis annos adscripsere. Eusebius in Chronico ad annum 32., Sulpicius Severus ad annum 33., scribit enim *(b)*; *sub hoc Herode anno Imperii ejus tertio, & trigesimo* CHRISTUS *natus est*. Eumdem annum 33. habet Epiphanius *(c)*. E Scriptoribus medii ævi; alii habent annum Herodis 32., ut Sicardus, & Modaeticense Chronicon; alii 31., ut Chronicon Virdunense, atque Hugo Flaviniacensis; demum alii 30., ut Andreas Ratisbonensis, & Lucas Tudensis. Nobis est hic annus constituendus mortis Herodis: cujus quidem multæ circumferuntur sententiæ a Seneschallo *(d)* diligenter enumeratæ. Etenim cum sacra auctoritate *(e)* CHRISTUM natum constet *in diebus Herodis Regis*; nec vero post CHRISTI nativitatē diu fuisse superstitem; necesse est, ut ejus quisque mortem, vel maturet, vel producat pront citius, aut tardius CHRISTI natalem collocavit. Hi tamen, qui longius differunt, vel multum antevertunt Herodis obitum, sunt, qui Josephi auctoritatem reiiciunt, quibuscum nihil nobis negotii esse volumus, ut initio professi sumus. Cæterum celebres sunt sententiæ duæ; prima, quæ mortem Herodis consignat anno Juliano 42.; V.C. 750., altera, quæ subsequenti Juliano 43. Illam tuetur Deckerius *(f)*, Pagius in App. Hervvartus *(g)*, Petavius *(h)*, Usserius *(i)*, Henschenius *(k)*, Natalis Alexander *(l)*, Schelstratus *(m)*, Gravesonus *(n)* &c.; hanc Norisius *(o)*, Lamy *(p)*, Monelia *(q)*. Ultra hos annos non excurrunt; sed uter ex illis duobus eligendus sit certatur vehementer. Utriusque rei causa in Josephum referenda est. Etenim ille Herodis mortem, quod ad alterutrum

ex

(a) Quæst. 1. cap. 14.
(b) Lib. 2. Histor. cap. 27.
(c) Hæres. 51. num. 22.
(d) Quæst. 1. num. 16. &c.
(e) Mat cap. 2.
(f) Th. 17.
(g) Ca. 233.
(h) Lib. 11. D T cap. 8.
(i) In Annal.
(k) Exercit. 2.
(l) Sæc. 1 Differt. 2.
(m) Antiq. Eccl diss. 2. cap. 2. art. 1.
(n) De Myst Christ. Differt. 6.
(o) Differt. 1. de epoch. Syr. Mac.; & In ep. de num. Herod.
(p) Apparat cap.
(q) Differt. de ann. Ch. cap. 1.

ex illis annis revocandam sufficeret diserte explicavit; quod uni certo, definitoque illorum annorum alligaret, non ita aperte tradidit.

Itaque, ait, Herodem mortuum *(a)* post detrusum regno Antigonum anno 34.; ex quo autem a Romanis Rex erat nominatus anno 37. Primam epocham; nimirum cædem Antigoni, atque expugnationem Hierosolymæ consignat anno Juliano 9.; accidisse enim narrat M. Agrippa, & Canidio Gallo Coss. *(b)*. Regem vero fuisse in Senatu renuntiatum dicit *(c)*, in Consulatu C. Domitii Calvini iterum, & C. Asinii Pollionis, qui est annus Julianus 6. Norisius de altera hac Epocha *(d)* ait constare, eamque fuse alibi *(e)* multis adductis argumentis probat. Primam male a Josepho consignatam putat, atque uno anno antevertendam; quod etiam placet Usserio. Hoc isti faciunt auctoritate ducti Dionis, qui Claudio, & Norbano Coss. ideft anno Juliano 8. captam Hierosolymam scribit. Verum siquidem juxta criticæ regulas judicare volumus; non video cur Josepho Judæo notior esse non debuerit tanta præsertim res, quæ in Judæa accidit quam Dioni: & modo passim eruditi Pagio accedunt, qui Norisio abunde satisfacit, & anno a Josepho memorato Hierosolymam captam solidis rationibus demonstrat. Quare neminem movere debet Dionis hac in re auctoritas. Si igitur numeretur 37. annus a prima Epocha, & ab hac secunda 34., uterque incipit decurrere anno V. C. 750. Jul. 42., & partem insequentis complectitur, unde curiosius auctores indagare studuerunt, qua anni tempestate utraque Regni ejus Epocha exordiatur, & qua pariter Herodes obierit: ut inde exurgat, cui ex illis annis mors sit consignanda. Facilis est temporis investigatio Antigoni cædis. Etenim Josephus Actiacam pugnam *(f)* conti-

(a) Lib. 17. Ant. c. 10. ταῦτα πράξας ὁ μὲν πέμπτῃ μεθ᾽ ὃ Ἀντίπατρον κτείνει τὸν υἱὸν τελευτᾷ, βασιλεύσας μεθ᾽ ὃ μὲν ἀνεῖλεν Ἀντίγονον ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα, μεθ᾽ ὃ δὲ Ῥωμαίων ἀποδέδεικτο ἑπτὰ καὶ τριάκοντα.

(b) Lib. 14. c. ult. τοῦτο τὸ πάθος συνέβη τῇ Ἱεροσολυμιτῶν πόλει ὑπατεύοντος ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Ἀγρίππα, καὶ Κανιδίου Γάλλου.

(c) Lib. 14. cap. 26. καὶ ὁ μὲν οὕτως τὴν βασιλείαν παραλαμβάνει τυχὼν αὐτῆς ἐπὶ τῆς. ζ´ καὶ π´ δ´ ὀλυμπιάδος ὑπατεύοντος Γαΐου Δομιτίου Καλβίνου τὸ δεύτερον, καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πωλίωνος.

(d) In Epist. Consular.

(e) Dissert. 2. in Cenot. cap. 6.

(f) Lib. 15. ant. c. 7. ἐν αὐτῷ καὶ τῆς ἐπ᾽ Ἀκτίῳ μάχης συνεσταμένης Καίσαρι πρὸς Ἀντώνιον ἑβδόμου ὄντος Ἡρώδῃ τῆς βασιλείας ἔτους.

contigisse scribit anno Herodis septimo; notum est illam commissam Septembris die secundo: quare si Josephum in hac epocha constituenda sequimur necesse est initiũ illius statuere ante hunc diem; secùs pugnę tempore septimus annus nedum inceptus fuisset præterea alia argumenta, quæ eam ante Septembrẽ incipere evincunt, quæ apud Pagium videri possunt. De altera epocha diversæ circumferuntur Auctorum sententiæ. Sunt qui *(a)* Herodem Romæ putant salutatum Regem ante Solstitium æstivum; sunt qui id factum censent anno exeunte. Primi sententiæ suæ patrocinium quærunt a Josephi loco *(b)*, quo Herodem scribit Regis titulum, nomenque adeptum Olympiade 184. Alii Josephum pariter productum ubi Herodem refert *(c)* periculis, atque incommodis contemptis omnibus διὰ χειμῶνος ad Antonium navigasse; idque Antonio Herodem ipsum narrasse. Verum Petavius, aliique 185. scriptum arbitrantur in Josephi autographo; nec multum fidere possumus (ubi rationes aliæ adversantur) hujusmodi argumentis; cum proclive fuerit librariis errare in numeris. Alii ambiguitate nominis procul dubio decepti sunt. Nam χειμὼν ut latina vox hyems non hybernum tempus solum, sed tempestatem significat cum eam, quæ in aere fit, ut apud Platonem *(d)*; tum quæ mare infestat, ut Pollux tradit *(e)*. Commodius viri doctissimi, Norisius, Pagius Autumno id accidisse arbitrantur anni V. C. 714. Etenim Josephus narrat *(f)* Herodem Romæ ab Antonio, & Cæsare, maximo honore, pompaque solemni Regia dignitate insignitum. Jam vero illo anno V. 714. Romam Antonius, atque Octavius venerunt, & ovantes ingressi sunt: ut eruitur ex Fastis Capitolinis, in quibus anno V. C. 715. Kal. Januar. M. Censorini triumphus adnotatur, & ante eum triumphum legitur.

T M.AN-

*(a)* Auctor Differt. Part. 2. ration. Petav. edit. Venetæ 1717.

*(b)* Lib 14. cap. ult.

[c] Lib. 14. cap. 25. πρῶτον μὲν ἀντωνίῳ φράζει τὰ συμβάντα αὐτῷ κατὰ τὴν Ἰουδαίαν . . . . καὶ ὡς πλεύσειε διὰ χειμῶνος, ἢ πάντως καταφρονήσειε δεινῶν, σπεύδων ἐπὶ τὰς ἐλπίδας παρ' αὐτὸν καὶ τὴν μόνην βοήθειαν.

[d] Lib. 6. de Rep. οἷον ἐν χειμῶνι κονιορτοῦ, καὶ ζάλης ὑπὸ πνεύματος φερομένου ὑπὸ τειχίον ὑποστάς.

*(e)* Lib. primo On cap 9. post titulum εὐδίας, alium habet περὶ κλύδωνος ubi ait τὰ δὲ ἐναντία χειμὼν κλύδων &c Teophrastus in opusc. de tempest. sign. utrumque hoc nomine comprehendit.

*(f)* Lib. 14. Antiq. cap. 26., & lib. 1. de Bell. cap. 11.

M. ANTONIVS M. F. M. N. III. VIR. R. C. OVA ...
QVOD PACEM. CVM. IMP. CAESARE FECIT

Sed id necessario accidit post Julium mensem, cum Dio narret circa medium Julium ab Agrippa Prætore Urbano Romæ Apollinares ludos exhibitos, quando primum civilis belli turbo inter Antonium, ac Cæsarem detonuit; Pompejo Magni filio, auctore Antonio, hostili classe Italiæ marittima infestante. Post hoc tempus illos brevi Romam venisse Norisio suadet rerum series brevissimo illo bello a Romanis Scriptoribus narratarum, eosdemque continuo ad Herodem ornandum fuisse conversos, Herodis familiæ periculum, quod imminebat, cum in extremo discrimine versaretur, ut Josephus tradit (a); qua quidem de causa septem dierum exiguo spatio, ut idem Josephus, ait (b), insperata felicitate ornatus dimissus est ex Italia. Quamobrem *colligitur*, inquit Pagius Norisii argumentis expositis (c), *Herodem labente Octobri currentis anni, vel potius exeunte Septembri Regnum Judeæ a Romanis accepisse*.

Epocha hac Herodiani Regni constituta, cum omnino plures circa Pascha mortuum Herodem arbitrentur, si anno Juliano 42. obitum ejus statuant, vident eo tempore constituere, quo annû a Regio honore adepto 37. nondum inivit. Quamobrem a Superiorum Chronologorum Deckerii, Hervvarti, Petavii, aliorumque opinione descivit Norisius, mortemque Herodis collocavit anno V.C. 751. ob unam hanc causam; nam *mors Herodis*, inquit (d), *non potuit contingere anno 750. a palilibus ante Pascha; immo nec ante exitum Septembris: quia mense Octobri Herodes annum regni 36. explebat: quod evidenti Chronologia mihi probatum est*. Norisium eo libentius secuti sunt Lamy, & Monelia, quot etiam serius Herodis Regni epochas exeunte nimirum anno licet falsò statuant. Illi autem authores, qui ante Pascha anni 42. Herodem mortuum tuentur, & hos inter præcipuè Seneschallus eo argumento non ita se premi sentiunt, ut in sequentem annum concedere cogantur, ut anni illi extremi saltem incepti inveniantur: ad consueta

(a) Ibid. ἐπειδὴ καὶ κινδυνεύειν αὐτοῦ τὸ οἰκεῖον αὐτῷ πολιορκούμενον. ὅτι τε τοὺς οἰκειοτάτους ἐν φρουρίῳ καταλιπὼν πολιορκουμένους &c.

(b) Lib. 14. cap. 16. ὅτι καὶ ἐν ἑπτὰ ταῖς πάσαις ἡμέραις παρέσχεν αὐτῷ τυχόντι τῶν οὐδὲ προσδοκηθέντων ἀπελθὼν ἐκ τῆς Ἰταλίας.

(c) Apparat. num. 4.

(d) Diss. 2. in Cenot.

ſueta enim hiſce caſibus effugia ſe recipiunt dicendo Joſephum Herodis regni annos non a die numeraſſe, quo regnum vere delatum eſt; ſed aptaſſe computationem ſuam ad Romanam annorum epocham Kal. Januariis; ita ut quamquam Herodes Autumno Rex ſit renunciatus, Joſephus tamen ex paucis menſibus, qui ad fidem Juliani anni excurrunt annum conſtituerit, & ineunte ſequenti Januario Herodis annum ſecundum computarit: modum hunc numerandi, ait Seneſchallus occurrere in ſacris literis, atque in prophanis Auctoribus; necnon in Joſepho ipſo: multaque affert in hanc rem. Hanc interpretandi rationem ii præcipuè, qui ea ſæpe in rem ſuam utuntur contemnere, aut rejicere nequeunt hujuſmodi autem ſunt, qui eo argumento Herodis mortem anno 43. pertrahunt Lamy, & Monelia. Neque nos Seneſchalli hanc opinionem contemneremus: novimus enim, quæ in ſimili plane argumento viri eruditiſſimi Pagius *(a)*, Philippus a Turre *(b)*, aliique ſcripſere; Petavium quoque *(c)*, inter cæteros modos Auctores interpretandi, quos Chronologi adhibent hunc recenſere. Verum, ut quod eſt fatear, noſtra ſemper hæc ſententia fuit prolepſes iſtas, ſive alias quaſcumque ſcriptores explicandi rationes, quæ ab eo ſenſu recedunt, qui primum nobis obvius eſt, ac nativa vocum ſignificatione continetur, cujuſdam veluti malagmatis loco habendas, quo afflictis Veterum ſcriptis, ſi nihil aliud poſſumus, medeamur: cæterum niſi neceſſitas urgeat, non eſſe adhibendas. Verum in re noſtra non ſolum ullam non perſpicimus neceſſitatem hujus explicationis, ſed eam Joſepho aperte repugnare aliis de cauſis arbitramur, ut ex narratione ſtatim intexenda patebit; nec iis proinde accedimus, qui circa Paſcha in ſequentis anni Herodis mortem differunt. Sic enim cogitamus; rem omnem ex eo manare, quod Herodes mortuus ſub Paſchæ tempus exiſtimetur. Hoc Petavius *(d)*, hoc Noriſius *(e)*, hoc Chronologorum vulgus arbitratur; adeout Seneſchallus id veluti rem certam, exploratamque omnibus inter cæteras hypotheſes, ex quibus Herodianæ mortis tempus colligi tuto poteſt numerarit. At unde hoc in hominum doctiſſimorum ſententiam venit? Quem illi hujus opinionis teſtem adhibent? Joſephum, & Joſephi locum de

T 2 Hero-

*(a)* Ad ann. 218 num 10.
*(b)* In Differt ad ann. imper. Elagab., & ad num. Fauſtinæ.
*(c)* Lib. 9. D.T. cap. 60.
*(d)* Lib. 11. cap. 1. & lib. 13.
*(e)* Loc. cit.

Herodis morte unicè omnes allegant. At Josephus ibi Herodem circa Paschæ tempus mortuum expresse non dicit; neque vero quonam pacto colligi ex ejus verbis possit video. Quid si ostendo omnino contrarium erui ex Josepho.

Josephus igitur narrat Herodem post Matthiam multatum Sacerdotio, alterum Matthiam, qui seditionis auctor fuerat, in qua seditione Aquila aurea a templi porta dejecta est, ejusque Socios vivos combussisse: atque hanc combustionem insecuta nocte, ait, lunam defecisse. Postea ingravescente Herodis morbo medici undique arcessuntur, consilium initur, de remediis diu multumque deliberatur; tandem lavatio in Calliroes calidis perscribitur. Eo Herodes lento, ut arbitrari æquum est, itinere perducitur; aquæ adhibentur; adhibetur etiam remedii aliud genus, atque in olei balneum immittitur, quod cum noceret; ita ut animam efflaturus jam jamque videretur, confestim inde educitur, & refectis aliquamdiu viribus Hierycunthem Herodes proficiscitur. Ibi cum esset nobilissimos Judæorum proposito edicto advocat, advocati cum adessent, homines in Circo concludit, & Salomæ Sorori mandat, ut sub obitus sui tempus omnes interficiantur. Interea Roma delata est potestas animadvertendi in filium; quo nuncio cum expleri ejus crudelitas potuisset, est aliquantulum recreatus. Deinde morbo recrudescente manus sibi inferre voluit, sed prohibitus est a domesticis. Interea Antipatro visa est offerri opportuna occasio fugæ: itaque illi se accingit. Certior tamen factus Herodes occidi filium jubet, ac demum quinto post filium occisum die moritur. Herodis mors non continuo vulgata, sed dum res quædam componerentur occultata. Tandem Judæis, qui fuerant conclusi in Circo, mortique destinati, dimissis, convocatoque exercitu, Herodem diem suum obiisse nunciatur, scriptumque ab eo testamentum palam recitatur, quo testamento Regni hæres edicitur Archelaus. Et Rex a militibus acclamatur, qui prospera cunctis promittens exercitum dimisit versa est Archelai cura ad magnificentissimum funus Herodi curandum. Cadaver igitur latum est Herodium, quod Castellum Herodes ipse construxerat, sepulchrumque in eo sibi paraverat (a). Et Josephus quidem iter hujus-

(a) Lib 1. de Bell. cap. 16.

hujusmodi ita describit in libris de Bello *(a)*, ut ducenta stadia confecta dicat; cum in antiquitatibus *(b)*, octo dumtaxat decursa significet, quod *(c)* interpretum ingenia aliquantum exercet; atque aliqui ita explicant, quasi diebus singulis octo stadiis pompa procederet; ita ut ante 25. dies pervenire Herodium non potuerit; quorum sententia in notis pulcherrimæ Editionis Havercampi dicitur minus probabilis: additur tamen, & si talis constructio propositionis ἐπὶ non careat exemplis, quare non repudianda penitus est, hęc interpretatio, sed videtur emendari posse si dicatur agmen dum Herodium iret octavo quoque stadio substitisse ad defunctum Regem complorandum. Hujusmodi moris antiquissima extant vestigia in Gen. cap. 50., hæc illi; alii volunt comitatum omnem non Herodium usque, quod nimis aberat venisse; sed tantummodo ad octo stadia. Curato Regis funere Archelaus dies septem in lugendo Patre, ut moris erat consumpsit, feralesque epulas prolixe populo exhibuit; quibus peractis cum processisset ad templum est ibi de Regno multa, ac de voluntate sua in Judæos concionatus secutæ petitionis populi magnæ, cum proclivis ad beneficia, atque indulgentior Archelaus videretur: quibus cum annuisset, epulando cum amicis tempus transigebat, dum convivia agerentur multitudinis animus immutari cœpit, & magna facta est rerum conversio conspiratione aliquorum, qui Mathatiam, & Matathiæ Socios supplicio injuste affectos commemorabant. Nihil omisit Archelaus, ut seditiosorum animos compesceret. Pluresque iterato misit, qui eos sedarent; sed neminem penitus advertebant, juvenesque persistebant in templo suffragatione victualium, quos expetere turpe non ducebant. Archelaus itaque Tribunum militum, & cohortem, quæ seditiosos comprehenderet legavit: ea lapidum jactu repulsa est, vixque ex eorum manibus saucius Tribunus est elapsus. Atque his commissis, vulgus nihilominus ad Pascha celebrandum convertitur: quare Princeps universum direxit exercitum, ut & eos, qui sibi abitacula in templo construxerant inde repelleret, cæterosque disperderet. Ceduntur

(a) Lib. 1. de Bell. cap. ult. σταδίους δὲ ἐκομίσθη τὸ σῶμα διακοσίους εἰς Ἡρώδειον.

(b) Lib. 17 Antiqu. cap. 16. ᾔεσαν δὲ ἐπ' ἑκάστῳ στάδια ὀκτώ.

(c) V. not. varior. in Josepho & recens. Havet. Camp.

tur igitur ab Æquitibus circa tria millia hominum, omnes autem reliquos in suas regiones discedere jubet Archelaus, qui continuo abjerunt festivitatem deserentes. Hæc in antiquitatibus (a), atque in libris de Bello (b) Josephus. Roget fortasse aliquis quorsum evadat tam longe, atque alte repetita narratio? Ut constet triginta dierum, sive mensis lunaris spatio tantas res, & tam multas fieri non potuisse. Hoc enim ad dicendum adiguntur ii, qui circa Pascha anni 42. Herodem mortuum asseverant; siquidem, quæ narravimus omnia inter Pascha, & lunarem Eclipsim, quæ eo anno die 13. Martii contigit facta sunt; quod sane brevius spatium, quam oporteat quilibet partium studio non præoccupatus judicabit. Quid enim Medicorum deliberationi, remediisque ante itineris sane incommodi susceptum consilium unum diem sufficisse arbitramur? Nonne plures ad Thermas Caliroen subsedisse, atque in experiundis aliis remediis consumpsisse putandus est? Alii debentur reditui: non uno, vel altero die fieri arbitror potuisse, ut Judæorum nobilissimi, quos regione omni accersivit convenirent. Animadversum est hoc a Schelstrato (c), Gravesonio (d), item ab iis, qui ad alios annos rejiciunt Herodis mortem Honorato (e), & Lamy (f); quorum postremus bene observat, cum a Josepho describi Herodis morbum, qui lento calore corpus affligeret, & diuturno supplicio Regem exerceret, quod & alia morbi symtomata indicant. Quid cætera, quæ post Herodis mortem sunt consecuta funus luctus epulæ, seditiosorum consilia, machinationesque: parumne temporis, atque exiguum intervallum exposcunt? Nicasius quidem Grammatici (g) ephemerides diligenter confecit, quibus subductis rationibus demonstrat; ut ut expeditissime omnia facta arbitremur, fieri omnia unius mensis spatio non potuisse. Non igitur de anni 42. Paschate hic loquitur Josephus, sed insequentis 43., quod etiam ex judicio Romæ habito inferius commemorando constabit. Ne inde tamen, quis inferat circa hujus anni Pascha, aut quindecim ante diebus cum Lamy, & Monelia Herodem obiisse. Etenim eæ ipsæ res, quæ post ejus mortem ex Josepho narravimus longe

(a) Lib. 17.
(b) Lib. 1.
(c) Antiq. Eccl. Dissert. 2.
(d) Myster. Christ. Dissert. 6.
(e) Animad. in Regul. Crit. lib. 5. diss. 2.
(f) Appar. Chronol.
(g) In Dissert. de annis Mundi reparati, & conditi sect. 2. cap. 4.

longe ante Pascha 43. accidisse evincunt, neque enim talia sunt, ut quantumvis coarctentur quindecim dierum spatio peragi potuerint. Ex ea itaque narratione colligendum est a quocumque Paschate Herodis obitum esse removendum, & æquis ferè spatiis inter horum annorum utrumque statuendum. Quare eo vehementius miramur eruditos viros ipso Josepho innixos aliter sensisse; quibus cùm Josephi auctoritatē aperte contrariam ostenderimus omni eorum opinio fundamento caret, quo probent sub Paschæ tempus Herodem mortuum. Itaque repellamus ex nostris animis eam opinionem, quæ contextæ ex Josepho narrationi repugnat, atque in tot salebras Chronologorum industriam, diligentiamque compellit. Quod si licet, in proclivi omnia. Cur enim Herodis mortem collocare non possumus Autumno post eum diem, quo regium nomen adeptus est a Senatu; ut vere orsus sit annum Regni sui 37.? Nihil huic sententiæ obstat, & Josephus satis indicat, cum ait anno regni sui 37. fuisse mortuum, & ita omnia, quæ ante ejus mortem narrat optime, comodeque explicetur. Itaque hoc aliquando fecerunt Usserius *(a)*, Schelstratus *(b)*, Heineccius *(c)*, Gravesonus *(d)*, Grammaticus *(e)* &c. Nituntur hi fere omnes volumini jejunii, ut appellatur, quod 7. mensis Chisleu: idest circa Novembris nostri medium obitum Herodis collocat. Libri illius auctoritatem (nam eam elevat Papebrochius *(f)*, Lamy *(g)*; & qui deinde sunt hos veluti Duces secuti) asserere conatur Schelstratus *(h)*. Nos id non moramur satis enim putamus fore, ut liqueat circa hoc tempus collocandam Herodis mortem tum ex iis,quæ usque modo commentati sumus, tum præcipue si ostenderimus, ex characteribus quibusdam necessario sequi illam ante annū 43. esse statuendam; ostensum enim satis superque arbitramur,non ante initium 37., aut 34. anni Regni Herodiani, qui ante Octobris exitum, ut vidimus exordiuntur retrahi posse.

Horum characterum primus est Eclipsis illa, quæ nocte contigit post eum diem, quo die Mathatias, sociique ejus est combustus. Diserte hoc Josephus significat *(i)*; & li-

*(a)* In Annal.
*(b)* Loc. cit.
*(c)* In Sylloge. opusc.
*(d)* Loc. cit.
*(e)* Dissert. 2.
*(f)* Epist. consult.
*(g)* Loc. cit.
*(h)* Diss. 2. Antiq. Eccl. cap. 2. art. 2.
*(i)* καὶ ἡ σελήνη δὲ τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλιπεν.

& licet ab hac Eclipsi Herodis mors, ut diximus sit aliquantum removenda; non ita tamen, ut Paschate sequentis anni contigerit, anno uno, atque amplius etiam interjecto. Ante Moneliam, nemo ex celebrioribus Josephi Eclipsim a morte Herodis tantum disjunxit; nec vero potest si Josephi narratio recte æstimetur. Itaque Lamy (a), cui postea etiam Monelia subscripsit, coactus est hanc negare esse veram Eclipsim, atque aliquas afferunt solares Eclipses ab Historicis memoratas, quæ vere Eclipses censendę non sunt; sed pallor quidam radios solis hebetans, atque obtundens. Verum, & solares Eclipses facilius simulari possunt a pallore illo, de quo alibi diximus, quam lunares, & huc non est confugiendum ad larvas hujusmodi, & Eclipsium mentitas formas, nisi ubi aliter excusari gravissimi Auctores non possunt. Quid hic inducere simulacrum istud Eclipsis cogit? An vero non advertimus Chronologiæ, quod est fundamentum firmissimum, a summis viris industria, ac labore singulari extructum convelli admissis adeo levide causa Eclipsium istis mentitis nominibus? Certe multa nutabunt, quæ ab Eclipsium doctrina optime stabiliuntur. Vera igitur Eclipsis putanda est Josephi illa, quam inter veras Eclipses Petavius (b), Billius (c), Ricciolius (d), Barrettus (e), aliique viri eruditi recensuerunt, & dicendũ est hunc characterem Herodis mortem ante annũ 43. Julianum promovent. Sed hic est a nobis castigandus Honoratus, qui (f) postea, quam affirmavit nullam certiorem notam esse mortis Herodis Eclipsi lunæ subdit, Eclipsim anni 42. Juliani nequaquam illam esse, quam Josephus indicat, primo quia visa non est 13. Martii, sed die 7. mensis Septembris peritorum Astronomorum judicio, secundo quia iisdem Auctoribus Eclipsis hæc spectari in Judæa non potuit. Ego vero, quos peritos Astronomos dicat prorsus ignoro, nisi video Savinum allegare. Cæterum Joannes le Feure, qui Astronomi locum in Regia scientiarum Academia Parisiensi obtinuit, & celestes ephemeridas in Academiæ usum pluribus annis confecit (g), anno Juliano 42. lunares Eclipses duas invenit; alteram 13. Martii; alteram

dic

(a) In app. Chron. ad Harm. Qu. chon pag 14.
(b) Lib. 8. D. T. cap. 23. n. 21.
(c) In Append. ad Tab Lodoic. pag. 166.
(d) Lib. 5. Almag. pag. 166
(e) In prolegomen. ad Histor. Celest. Ty-
(f) Lib 5. animad. Differt. 2. art. 8.
(g) Histor. Academ. Reg. Paris. an. 1700. & 1701.

die 5. septembris; hanc spectari in Judæa non potuisse asserit; potuisse vero superiorem. Petavius, supputavit *(a)*, hanc Eclipsim die 13. Mart. an. 42 Jul. Period. 4710., eamque ostendit in Judæa spectatam. Nicasius Grammatici Astronomicis opusculis celeber. testatur se calculis subductis lunarium Eclipsium pro an. Julianis 41. & 42., ex Hirianis tabulis invenisse an. 42. die Mart. 13. *defectionem lunarem in sacra Urbe integre* (sic enim loquitur) *conspicuam, luminari ultra* 9. *digitos obscurato (b)*. Hec ita esse nos quoq. experti sumus adhibitis Cassinianis (*) tabulis licet Eclipsis quantitatem aliquanto Grammaticea minorem invenerimus, ut etiam invenerat la Feure. At non in hoc tantū, sed & insequentium annorū consignandis Eclipsibus labitur Honoratus, quos omnes calculo exhibito persequi non libuit.

Alius character, ex quo omnino prævertenda est mors Herodis ante annum 43 Julianum, est annorū numerus qui Archelaus post Herodem regnavit. Hic humani aliquid passus est Josephus. Nam in libris antiquitatum *(c)* Archelai somnium narrat, visasque ab eo refert spicas decem, quæ decem regni ejus annos indicarent; in libris vero de Bello *(d)* spicam unam, unumque annum detrahit, & novem spicas novem annos designare dicit. Petavius *(e)* illum excusat, quasi novem annos expletos, cœptum decimum significaverit. Sed bene Norisius animadvertit *(f)* spicarum numeri varietatem illam huic explicationi non consentire. Itaque in alterutro lo-

V co

(*) Ad an. 4. ante æram vulgarem Martii 22. hora p. m. 12. min. 33. sec. 50.

| | s. | ° | ' | '' |
|---|---|---|---|---|
| Longitud. med. sol. | 11 | 18 | 14 | 41 |
| Apogæi | 2 | 8 | 23 | 29 |
| Anomalia media | 9 | 9 | 21 | 12 |
| Æquat. centr add. | | 1 | 53 | 48 |
| Longitud. ver. temp. med. | 11 | 20 | 8 | 24 |
| Corr. temp. 10. 39. ad. | | | | 27 |
| Longit ver temp. v. | 11 | 20 | 8 | 51 |
| Ad temp cor. Mart. 22. h. p. m. | | 12 | 44 | 29 |
| Longitud med lun. | 8 | 25 | 55 | 19 |
| Prima æqu. sol. sub | | | 9 | 14 |
| Loc. lun. primo corr. | 5 | 23 | 45 | 45 |
| Apog. lun. | 4 | 6 | 10 | 25 |
| Secund æqu sol. sub. | | | 5 | 58 |
| Loc lun. 2. corr. | 5 | 23 | 41 | 47 |
| Anomal med. | 1 | 17 | 12 | 20 |
| Æqu subtr. | | 5 | 32 | 7 |
| Loc. lun. in orb. | 5 | 20 | 10 | 40 |
| Arg. lat. | 6 | 1 | 9 | 33 |
| Reduct ad Ecl. sub. | | | 1 | 49 |
| Locus lun in Ecl. | 5 | 20 | 8 | 51 |
| Latit Boreal. | | | 42 | 36 |

| | ° | ' | '' |
|---|---|---|---|
| Semid. hor. sol. | | 16 | 2 |
| lun. | | 15 | 1 |
| Mot. hor. sol. | | 2 | 27 |
| lun. | | 30 | 41 |
| Parall. horiz. sol. | | | 10 |
| lun. | | 55 | 34 |
| Semidiam. umbræ | | 40 | 8 |
| Sum. semid. l. & um. | | 58 | 4 |
| Inclin. appar. orbit. ad circul. lat. Occid. | 84 | 28 | 11 |
| Different. inter sum. sem. um. & lun., ac latit. | | 12 | 8 |
| Eclipsis init. hor. p. m. | 11 | 20 | 8 |
| finis | 13 | 48 | 52 |

Digiti obscurat. 4. min. 18.

(a) Loc. cit.

(b) De æra Christ. nati cap. 4.

(c) Antiq. l. 18. cap. 15.

(d) Lib. 2.

(e) Lib. 12. D. T. cap.

(f) Diss. 2. in Cenotaph. cap..

co corrigendus est Josephus. Et aliqui quidem novem volunt annos regnasse; & quando id dixit Josephus recte dixisse putant; quando decem recensuit memoria defecisse. Ego vero contra memoria valuisse Josephum puto, quando decem annos expressit, lapsum quando unum detraxit, novemque reposuit. Peto enim: putamusne Josepho notum fuisse annum, quo Pater ejus est ortus? Arbitrabimur mentitum si dicat in publicis tabulis annum hunc scriptum invenisse; aut probe fidei tabulas non fuisse? At is in libello de vita sua *(a)* affirmat Patrem suum natum Regni Archelai anno decimo, atque hoc se in publicis tabulis consignatum reperisse. Utrum prudentius est arbitrari errare Josephum, ubi de rebus agit domesticis, testibus publicis tabulis, quas inspicere millies, atque excribere facile potuit: an cum alias res agens nullo teste aliquid profert? Cum autem Dio *(b)*, & ex ipso Norisius optime doceat Archelaum relegatum esse M. Emilio Lepido, & Aruntio Coss. V.C. 759. Jul. 51., primum cœpisse necesse est ante anni 42. Jul. exitum, eoque Herodem Regem defunctum esse: aliter decem annos numerare nullo modo possumus, & hos neque Monelia, neque Lamy ab an. 43. numerantes ullo modo reperire possunt. Hoc autem cum probe perspiceret Lamy *(c)* nodum in scirpio quærens secutus Pagi *(d)* subdubitationem, ut Dionis fidem elevaret ei contrarium Josepum asseruit, ubi *(e)* Quirinum Archelai facultates publicasse, censumque peregisse ait. *anno post victum a Cæsare in Actiaca pugna Antonium* 37. At cum videret juxta Pagi acceptionem, qui hos annos ab ipso die veræ Actiacæ pugnæ numerat; ita ut annus 37. anno 51. Jul. Septembri incipiat optime Dioni, qui eo anno Archelai relegationem, ut vidimus consignat consentire, aliam excogitavit rationem eos contrarios efficiendi; dicendo nimirum eos annos a capta Alexandria esse numerandos, eo quod id alii auctores fecerint. Sed a Josephi ipsius textu abunde impugnatur, ut legenti patet, & ab

(a) τούτου γίνεται Ἰώσηπος..., καὶ ἐνιαυτῷ Ματθίας βασιλεύοντος Ἀρχελάου τῷ δεκάτῳ, Ματθία δὲ ἐγὼ τῷ πρώτῳ τῆς Γαΐου Καίσαρος ἡγεμονίας... τὴν μὲν οὖν τοῦ γένους ἡμῶν διαδοχὴν ὡς ἐν ταῖς δημοσίαις δέλτοις ἀναγεγραμμένην εὗρον οὕτως παρατίθεμαι.

(b) Lib 55.

(c) In App. Chron. ad Harm. Ev. cap. 8.

(d) In App.

(e) Lib. 18. antiq. cap. 6.

ab aliis Josephi locis, quibus a die Actiacæ pugnæ eos annos deducit falsitatis revincitur. ut sileam Syrum Auctorē Syrorum modo non Ægyptiorum eos annos putare debuisse. Quare tantum abest, ut Josephi textu Dionis auctoritas imminuatur, ut potius confirmetur mirifice, & argumentum prorsus inelluctabile reddatur; neque enim ad notas prolepses confugere possunt; ex eo enim, quod arbitrentur *(a)* Herodem 14. circiter dies ante Pascha obiisse initio scilicet Nisan, & anni sacri, a quo, ajunt, Judæos suorum Regum annos numerasse sibi ipsis ad eas aditum præcludunt, neque a superiori anno initium Regni Archelai arcessere possunt. Itaque ex hoc charactere necessario sequitur ante annum 43. Julianum collocandam Herodis mortem. Hoc tandem Norisius ipse perspexit, eoque precipuo adductus argumento sententiam, quā dissertatione 2. de Cænotaf. Pisanis *(b)* tradiderat deseruit, nostramque in Epistola de nummo Antipæ amplexus est, & mortis Herodis epocha intra annum 750. V.C. constituta *(c)* ad dicti nummi explicationem progreditur: cæterum neque ubi aliam sequutus est, hanc improbavit; eos enim tantumodo impugnare aggressus est, qui ante hujus anni Pascha Herodem obiisse contendunt. Usserii vero opinioni, quę & nostra est, tantum ibi non adheret: quinimmo quodam prolato argumento, quæ supra de Archelai relegationis tempore constituimus confirmat *(d)*, dum ait: *equidem ex illis verbis unam futuram æstatem, qua exacta Regno depelleretur*, (quæ de Archelao habet Josephus) *circa finem anni pulsus Regno intelligitur*. Itaque cum utramque opinionem sequutus sit Norisius; si primum pro illa, modo pro hac nostra cum produximus, nemo opinor nobis vitio vertet. Eo autem magis, magisque hujus sententiæ inde eluceſsit certitudo, quod tantum Virum contrariæ jam addictum rapuerit, ut hoc ipsū pro ea novum argumentum videri possit.

Ad hunc characterem pertinet tempus, quo alter ex Herodis Magni Filiis Herodes Antipas regnavit. Si annum inquiramus, quo hic a Cajo relegatus est, haud ægre colligere possumus ex Hæbreorum, & Romanorum Historiis; Josephus enim tradit *(e)* id factum, dum Cajus Baiis versabatur. Cajus autem

V 2 Impe-

[a] Locis supra cit.
[b] Cap. 6. *Illum vero obiisse circa tempus Paschatis ex ejusdem scriptoris narratione colligitur*; & infra, *anno V. 751., quo Herodes decessit &c.*
(c) *Ait eum obitus Herodis magni contigerit labente Autumno A. V 750 &c.*
[d] De Cenot. dis. 2. cap. 6.
[e] Lib. 18. antiqu. cap. 9.

Imperator, ut ex Dione (*a*), & Svetonio constat, bis an.V.792. apud Bajas divertit, & semel anno V. 793., postquam ab expeditione Germanica redux Urbem ovans intrasset, die Natalis sui, pridie Kal. Septem., ut Svetonius scribit. Norisius (*b*) autem plura adducit, quæ plane evincere videntur ante hoc tempus Herodis Antipæ Tetrarchia jam ornatum fuisse Agrippam. Hic enim an.793. cum Cajo fuit ex Dione; & Philo (*c*) narrat eum cumvenisse Cajum Baiis; quando autem damnatus fuit Antipas in Judæa Agrippa versabatur, indeque eum apud Cæsarem accusavit per literas, quasi Artabano Parto faveret: hoc ipso anno maturescentibus segetibus, ut ait Philo(*d*), Aristobolus Agrippæ Frater, & Elcias militiæ Dux apud Petronium intercesserunt, ne Caii sub Jovis specie simulacrum in Templũ inferretur; idque egerunt in Urbe Tiberiade, quæ propterea Urbs, totaque Galileæ, Provincia ad Agrippam spectasse necesse est; cum præterea nullæ ibi Herodis partes legantur. Hæc, & alia fuse Norisius (*e*), ex quibus patet, si Baiis damnatus est Antipas id superiore an.V.729. contigisse. Jam vero celeberrimus est Herodis hujus nummus, qui in prima facie coronam præfert, & intra coronam literas ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑ ΓΕRΜ CΕΒ; & in aversa facie circa oram epigraphen ΗΡΩΔΗΓ ΤΕΤΡΡΧΗΓC; in medio vero palmam, & annorum numerum L Μ Γ, idest ann.43. principatus Antipæ. Si legittimus est nummus eorum sententiam oppugnat, qui anno V.C.751. Herodem mortuum volunt: ab hoc enim ad 792., quo Antipam deportatum diximus nullo modo 43. anni, quot nummus præfert, inveniri possunt. Cautè itaque explicationem hujus nummi agrediens opinionem eam deservit Norisius, quæ eo ipso nummo falsitatis revincitur. At, ut verum fatear, neque enim dissimulare placet, aliquid etiam nostræ obesse videtur; siquidem, quod Norisius (*f*) docet, alteram commorationem anni 792. Baiis absolvit Cajus labente Augusto mense, nam Romam properavit ante natalis sui diem ad animadvertendum in Consules, qui eundem diem denunciare neglexerunt: deinde in Umbriam profectus est, ubi consilium expeditionis Germanicæ cœpit, eamque hoc anno perfecit (*g*). Itaque cum damna-

tus

(*a*) Lib.59.
(*b*) In epistola ad Pagium de nummo Antipæ.
(*c*) Lib. de legat. ad Cajum.
(*d*) Ibidem.
(*e*) De nummo Antiqu.
(*f*) Ibidem.
(*g*) Svetonius in Cajo, & Dion. cit.

tus sit Antipas Baiis, id ante Augusti exitum evenisse necesse est, a quo termino 42. annos completos retro numerando ad Augustum anni 750. devenimus, quo adhuc in vivis egisse Herodem Patrem diximus. Hæc tamen difficultas multimode solvi potest, & commode in nostra sententia nummus explicatur. Nam idem Norisius (a); *num forte*, inquit, *Herodes Tetrarcha declinante Augusto mense apud Bajas damnatus fuit, priusquam Cajus in Urbem reverteretur; cujus Herodis infortunii nuntius mense Septembri fere extremo in Galilæam delatus est, paucos ante dies eo nummo obsignato cum anno principatus Herodis tertio, ac quadragesimo, quem tamen idem in exilium missus reapse non iniit*. Eodem fere recidit, quod tradit Lamy (b) nummos præferre solere non tempus, quo cusi sunt: sed quo erant spargendi in vulgus. Fortè etiam nondum in Judæa pervenerant, qui Imperatoris nomine Herodis facultates occuparent: unde adhuc administrabantur per eos, quos ipse reliquerat Magistratus. Demum multa excogitari possunt, quibus pauculi illi dies, qui ad numerum in nummo signatum desunt suppleantur. At eæ explicationes minime eorum sententiam possunt juvare, qui Herodis mortem ad Pascha anni 753. differunt; in horum enim sententia fere integer annus deficit, qui ea ratione nequit suppleri. Quare Lamy (c) alio vertitur, & asserit Herodem fortè in exilium non pulsum eodem anno, ac auditus est a Cajo; nec spoliatum Tetrarchia sua; idque ex Josepho elicere se posse putat, cum ait. Agrippam quarto anno Caii Herodis Tetrarchiam adeptum. Idem pariter Schelstratus eodem usus Josephi testimonio tradit, licet nobiscum in anno Herodianæ mortis consentiat. Sed hi Caii mores, præceps ingeniũ attendisse non videntur; quod quidem etiam Josephus (d) expressit in eo Antipæ Judicio. Totum enim peractum est interrogatiuncula una; num essent, quæ Agrippa scribebat vera? Cui cum vera esse Antipas respondisset, narrat illum Josephus damnatum, regnoque multatum fuisse. Præterea si aliquid esset interjectum temporis purgare se Herodes, & damnationem effugere potuisset. Itaque omnia continuo gesta Caii indoles, & Josephi narratio suadet. Non continuò tamen Tetrarchiam illius Agrippæ attributam: sed demum insequentis anni vere, ut Norisius, & Usserius tradunt præsenti a Caio dono

(a) De numm. Antip. (b) Part. 1. Appar. c. 52. (c) Ibidem. (d) loco supra laud.

dono datam, misso interim, ut moris erat, qui Antipæ facultates, & ditionem fisco adscriberent: quare concidit allatum argumentum, & licet quarto Caii anno, ut Josephus tradit, Antipæ Provincia Agrippæ accesserit, ille superiori anno damnatus est, ut probavimus; neque vero Lamy, & Monelia ad prolepsim illam confugere possunt, quam Norisius *(a)* ex Kepplero commemoravit, quia Herodis mortem anni sacri initio constituunt, illius autem nostra sententia non indiget. Quare quocumque se vertant nunquam 43. saltem inceptos annos invenire poterunt; ideoque eorum sententiam omnino hic nummus impugnare videtur, siquidem sit legitimus. Cautè id repeto; *si sit legitimus*: nam de eo video rei nummariæ arbitros dissentire; nec vero scio an alius unquam fuerit celebrior nummus, qui eruditorum ingenia exercuerit magis, variaque adeo usus sit fortuna. Primum in Cl. Rigordii manus incidisse perhibetur, qui de eo dissertationem edidit anno 1689.: eodem anno, cum ingens opus de epochis Syro Macedonum Norisius ederet, accepto nummi ectypo ab Antonio Magliabechio, eum vulgavit: ac deindè uberrime illustravit in Epistola ad Pagium, in qua quidem de ejus sinceritate subdubitavit; ait enim: *ne quid te celem initio dubitabam de nummo, quem non videram, quidpiam publice in literas mittere, ne si ille forte esset adulterinus bellam fabulam luderem, ac omnia de eodem mihi commentata pura puta commenta forent. At malui tibi morem gerere; siquidem in laudum parte repono meum erga te obsequium etiam cum periculo irrisionis ostendere.* Idem tamen in Epistola ad Schelstratum *(b)* narrat nummum legitimum judicatum, quod affirmat & Schelstratus *(c)* referens Parisios delatum, atque hoc sinceritatis judicium latum fuisse ab Eruditis omnibus; inter hos nominatur a Norisio *(d)* Nicolaus Toinardus. De eo nihil postea dubitarunt Vaillantius *(e)*, Harduinus *(f)*, qui nummum probe inspexerunt; item nummariæ rei peritissimus Blanchinus *(g)*, præter modo laudatos Lamy, Schelstratum, & Heineccium, qui *(h) omnia in hoc nummo antiquitatem redolere*, ait; *ut nihil sit, quod nummum hunc suspectum red-*

(a) De Nummo Antipæ.
(b) Extat. Tom. 1 Antiqu. Eccl. pag. 653.
(c) Ibid. Dissert. 1. cap. 2 art. 3. num. 7.
(d) Apud Schelstr. pag. 653
(e) In dissert. de anno nat. Ch. Tom. 4. monum. Reg. Aca. Inscript.
(f) In num. Herod.
(g) Tom 2. Anast.
(h) In Syllog. opusc.

*reddere possit*. Nummum hunc Rigordus dono dedit Illmo de Bezon, atque in ejus Musæo eum se vidisse testatur Harduinus *(a)*. Cum is deinde fato concessisset, rursum ab Hæredibus ad eumdem Rigordum delatus est; qui cum Cimelio suo vendidit D. le Bret, a quo translatus est ad Cl. de Rothelein; denique ad Illmum deMazaugues pervenit. Qui opusculũ de scientia nummaria non multis ab hinc annis *(b)* illustravit narrat Abb. de Rothelein; Cl. de Boze, & de Cleves nummum illum ad examen revocasse, ac judicium tulisse hujusmodi; nummum illum cusum ex veteri alio nummo; hunc tamen recentem esse; id, quod ex ærugine colligi quæ scalpro cedit. Equidem doctissimorum virorum Judicium facio, ut debeo plurimi; neque inficior, maximum hoc esse fallaciæ argumentum in veteribus nummis, cum ærugo illa arte inducta non a vetustate intacto metallo detergitur; sed mirum sane accidit; quod vel pueri notare solent non animadvertisse viros exercitatissimos in hoc studiorum genere Harduinum, & Vaillantium; quorum postremus *(c)* nummum hunc testem veritatis certissimum appellavit: præsertim cum non deessent, qui oculis usurpare, & manibus contrectare eum non potuissent, quemadmodum Norisius fuit, de ejus sinceritate dubitationem moverent. Itaque in mentem aliquando venit, non eumdem fortasse nummum esse, qui a recentioribus his, atque ab illis superioribus est visus, sed cum plures sortitus sit Dominos, ita ut necesse sit in plurimorum etiam vilissimorum servorum fuisse manibus; ut sunt fraudum artifices multi pro veteri illo recentem hunc ab aliquo suppositum, qui genuinum asportare aliquando cogitaverit in alienas terras, & caro divendere. vel quod facilius fortasse est veterem ipsum nummum nova erugine obduxisse, ut pulchrior, elegantiorque evaderet. Utcumque sit de ejus sinceritate vades nos sisti minime volumus; quare hypoteticc hunc argumentum protulimus.

Esset etiam preterea, quem ex Vaillantio *(d)*, & Harduino *(e)* contra Moneliam, & Lamy proferre possemus alium Herodis Tetrarchæ nummum; nisi nostræ, quoque sententiæ officeret

(a) Loc. cit.

(b) An 1739 edit Paris *la science de Medailles avec des remarques &c* in addit. ad t. 2.

(c) Loc. cit. *on ne peut revoquer en doute, que selon la supputation de ces monnoyes tombent irreprochables de la verité ne se peut transporter &c.*

(d) Loc. cit.

(e) Loc. cit.

ret. Est priori simillimus: solum annus signatur, ut Harduinus legit, 44. Verum si in hoc literarum genere Principem audiamus Ezechielem Spanhemium *(a)* non 44. annus, sed 34. exprimitur. Harduinus ipse fatetur literas ita nexas spectari M. Cur ergo legamus potius M Δ quam Λ Δ, cum altera hæc lectio nequaquam vetustis monumentis adversetur, nihil dicat inauditum, nihil novum; contra prima illa omnem pœnæ Josephi historiam evertat; Harduinus ipse eo confugere coactus sit, ut diceret Herodem hunc Tetrarchiam obtinuisse ante biennium, quam possit obitus Herodis Prioris ex Josepho colligi; ex sententia vero sua ante annos octo, quam ille revera e vita decesserit *(b)*; cui contrarium rem esse certam Vaillantius *(c)* ponit. Quidquod Spanhemii lectioni suffragator accedit vir alter antiquitatis scientissimus Henricus Norisius, qui in literis ad Schelstratum *(d)* annos ipse quoque explicat 34. Quamobrem hic nummus, neque contrariæ sententiæ nocet, neque evertere, quæ nos hactenus statuimus potest.

Atque hactenus quidem, ut initio nobis proposuimus, perinde locuti sumus, quasi Josephi historici arbitrio res esset transigenda: atq. illius præcipue auctoritate duo, ut videtur, explicavimus; nimirum cum tres ille notas significet anni emortualis Herodis; epocham ejus Regni; lunæ Eclipsim; annorum numerum, quos ejus filii in Regno transegerunt; ex prima hujusmodi notarum nequaquam probari præter annum 42. Julian. producendam mortem reliquas duas annum hunc apertè significare. Cur sic potissimum agere mallemus, quidve sentiremus de Josephi auctoritate alio loco declaravimus; quibus addam hic ejus fidei, ac diligentiæ testem alium Bucherium *(e)*; *tot*, inquit, *adhuc Herodis supererant edicta, tot leges, tot contractus, tot sculpta saxis, & ædificiis illius inscriptiones certis Regni, & filiorum ejus annis signatæ. ipsum denique Regis ipsius epitaphium in Regio castello Herodis Hierosolymis fere contiguo, omnium oculis expositum non anno modo, sed & mense, dieque mortis insculptum, centies a Josepho quoque ipso perlectum, & in codicillos haud dubie pro historia sua relatum (quis enim non faceret?) & in re tanta tantus vir deviasset? Historiam ille suam e Nicolai Damasceni scriptis tum pu-*

*pu-*

(a) Diss. 8 de præst., & us. num. §. n. 6.
(b) Loc. cit.
(c) Loc. cit.
(d) Tom. 1 Antiqu. Eccl. pag. 653.
(e) Lib. 2. Belg. Rom. cap. 6. n. 27.

*blicis compilavit, Nicolaus Herodi morienti tamquam intimus præsens, adfuit. Diem hic mortis, cui interfuit ignorasset, male transcripsisset, aut Josepho, cæterisque imposuisset? .... Homines novi Josepho, Nicolaoque annis fere* 1500. *posteriores clarius in Herodis morte, quam testes oculati vidissent? &c.* Et profecto si quis eos, qui Josepho adversantur quales sint, quæque contra asserunt diligenter expendat, videbit, non alia de causa historicum illum maledictis proscindere, fidemque elevare, quam quod neglectis veterum testimoniis tempora malunt de ingenio suo computare, resque, ut libitum est per annos disponere; quorum rationibus, quoniam Josephus adversatur, Josepho irascuntur. Quin etiam hoc habent reliquæ sententiæ, quæ Herodis mortem in alios annos rejiciunt, ut non ex Herodis morte annum CHRISTI natalem, sed ex anno CHRISTI natali Herodis mortem, cui commodum est anno consignent; ut bene Petavius, aliique animadverterunt. Exemplo esse potest Cellarius, qui (*a*) ubi dixit de morte Herodis tres esse sententias celebriores; primam Kepleri, & Petavii, quæ illam collocat anno Juliano 42., alteram Langii, & Calvisii, quæ statuit anno 44., denique tertiam Scaligeri anno 45., de prima ait enormiter aberrare: cur? Quod oporteret prius Herodem mortuum ponere, quam CHRISTUM natum: neque hujus postremæ assertionis suæ alia argumenta affert, quam quæ attulit Scaliger, a plurimis diligentissime refutata; & nihilominus Scaligerum ait Cellarius sententiam suam *certo probasse*. De Herodis vero morte Scaligeri opinionem verissimam dicit, quod nitatur *charatteri infallibili* (sic enim appellat) lunæ defectus, qui eo anno accidit: quasi vero alio anno, aliam, atque huic similem lunæ Eclipsim reperire non possemus. Nolo hic de cæteris sententiis, quæ mortem Herodis arbitrio suo aliis annis collocant disputare. Eas multi, atque in primis Seneschallus egregie refutavit (*b*).

Unum preterire nequeo Seneschallo recentiorē Honoratū, qui (*c*) Herodem mortuum contendit anno Juliano 45., CHRISTUM vero natum anno 44. Adduci se ait ad id affirmandum duabus conjecturis, quæ videantur probari ab omnibus maxime debere. Prima est annorum numerus, quos egit in Regno

X Hero-

(*a*) De vit. & gest. Herodial.
(*b*) Quæst. 1. cap. 16. 17. 18., & 19.
(*c*) Lib. 5. animadv. in Reg. Crit. Differ. 1. art. 8.

Herodes; altera Eclipsis lunæ, quæ paucos ante dies accidit, quam ille mortem oppeteret. De altera hac conjectura jam supra diximus. Quoad primam, pergit; nemine dissentire ex testimonio Josephi Herodem regnasse annos 34., dissentire tamen de anno, a quo repetenda sit 37. annorum supputatio: itaque sententias duas hac in re probabiliores inveniri; alteram eorum annorum epocham statuere anno 6. Juliano; alteram 9. se priorem illam amplecti, quod subductis rationibus a morte Antigoni ad mortem Herodis 37. anni reperiantur; eos qui CHRISTI Nativitatem quinto ante æram communem anno statuunt annos hos 37. nullo pacto reperire posse. Hæc Honoratus; in quo, vel fidem, vel diligentiam merito desideres. Etenim qui Josepho in rationibus ineundis annorum Herodis utuntur, non solum annorum 37. numerum ab eo assertum habent, sed eorum, unde ducendi sint, epocham diserte constitutam; nimirum Domitio, Calvino, & Asinio Pollione Coss., qui est annus Julianus 6.: quod superius prolato Josephi loco ostendimus. Atque ibi aliam quoque Epocham indicat ab anno Juliano 9., quando Antigonus est sublatus; sed non idem statuitur a Josepho ab ejus nece ad obitum Herodis annorum numerus, sed aliquanto minor 34. annos. Decipere Honoratus voluit, an ipse Josephi locum cursim cum legeret deceptus est? Est etiam quod præterea obiicit firmumque argumentum appellat. Archelaus ab Herode successor in Regno dictus Romam venit, ut quod Herodes statuerat Augustus ratum haberet. Augustus cum convocasset ad judicium inter Archelaum, Fratresque ejus instituendum amicos, Josepho teste (a) principem locum tribuit Cajo Cæsari ex Julia filia nato. Ait Honoratus; quamquam Josephus causam cur id factum sit non significet, tamen pronum esse eam colligere; nimirum quod Cajus Consul eo anno renuntiatus fuerat, cum Æmilio Paulo; qui quidem fuit annus 46. Julianus, V.C. 754.: ex quo, addit Honoratus, necessario illud consequi Herodem non interiisse anno 42., vel 43., sed 45., vel 46. Juliano. Miror id pro sententia sua Honoratum adducere, quod jam antea Deckerius (b), Seneschallus, (c) Petavius (d) anno suo favere; suo vero aut superiori uberrime omnium Norisius (e) ostenderat. Et Norisius, quidem contendit, judicium

(a) Lib. 7. Antiqu. cap 11., & lib. 2. de bell cap 4.
(b) Thes. 11.
(c) Hypoth 5.
(d) Lib. 12. D.T. cap 6.
(e) Dissert. 2. in Cenot. 2. cap. 6.

dicium illud habitum anno V. 751.; *ita ut, nec in annum superiorem, nec in quempiam proxime insequentium protrahi possit*. Hoc alterum deinde probat ex eo, quod anno proximo V. 752. Lucius Cæsar virilem togam induit, ac omnibus est honoribus ornatus, quos die sui tyrocinii Cajus ejusdem frater ante triennium tulerat; ut permissum sit etiam in Senatum ire ex Dione. Quamobrem si judicium illud habitum fuisset anno V. 752., aut quopiam insequentium, Augustus Lucium, quoque Cæsarem ad idem judicium accersivisset; præsertim cum Lucius esset eo anno Consul designatus; ex Josepho vero colligitur unum Cajum Cæsarem ab Augusto inter judices sedere jussum. Addit Norisius dici non posse eo judicio exclusum, quod junior esset: nam Princeps erat juventutis, Consul designatus, in Augurum collegium cooptatus; denique titulis honorum omnium Cajo fratri æquatus: quas quidem cum sacras, tum prophanas dignitates in eum Augustus contulerat, ne qua inter filios aliquando invidia, atque odiū erumperet. Atqui huic aditum Princeps patefecisset si admisso Cajo, Lucium pari dignitate præditum ab eo judicio removisset. Quale istud argumentum sit non quæro: illud assero Honorati sententiæ nocere potius, quam prodesse: nocet enim, quod Norisius de Lucii Cæsaris ab eo judicio exclusione protulit; non autem prodest, quod Cajus principem eo in Concilio obtinuerit locum; etenim (præter quam quod Augusti filio tot honoribus & dignitatibus ornato non videatur ab Amicis primum denegari debuisse locum, licet Consul non esset) jam ab anno 51. erat Consul designatus, & Consules designati primi in Senatu sententiam dicebant, ut bene Norisius *(a)* docet ex Tacito, qui de Tiberio ait *(b)*, *exemit Drusum Consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ*. Ab eo igitur argumento adducendo abstinere debuisset Honoratus: præsertim cum adsit, quo Judicii hujus Romæ instituti tempus multo solidius, quam a Norisio ea conjectura factum sit constituas, & Honoratum redarguas: Id est epocha Principatus Philippi alterius Herodis M. Filii: huic diviso, eo judicio Judeæ Regno, Traconitidis, Galaunitidis, & Bathaneæ Tetrarchia attributa est *(c)*, cui cū præfuisset 37. annis, ut ait Josephus *(d)*, vigesimo anno Imperii Tiberii



*(a)* Diff. cit. cap. 2.
*(b)* Lib. 3. Annal.
*(c)* Joseph de Bel. l. 2 c. 4. & ant. l. 17. c. 17
*(d)* Lib. 18. Antiqu. cap. 6.

berii defunctus est: hic autem annus a morte Augusti, ut oportet numeratus, incipit Jul. an.79. mense Augusto, & Augusto pariter anni 80. definit, quo spatio Philippus obiit. Si itaque ab hoc retro numerentur 37. anni saltem incepti, necessario ad eum spatium deveniemus, quod ab Augusto anni 42., ad Augustum an.43. Jul. interiicitur, quo absolutum judicium, & illi Tetrarchia commissa fuerit: Quare turpiter lapsus est Honoratus, cum illud ad annum 46. distulit. Constitutum vero hujus judicii tempus, & iis obstat, ut praemonuimus, qui ante Pascha anni 42. Herodis mortem statuunt; tunc enim dicendum videretur ante Augustum mensem fuisse Judicium perfectum.

Sed Honoratum dimittamus; atque aliquando characteris hujus, qui nos diu detinuit fructum, quem possumus decerpamus. Est autem ille primus, atque a viris doctis certo ferme demonstratus; natalem CHRISTI annum ante æram vulgarem prævertendum. Negant hoc, quos supra in sententiarum recensione nominavi Grandamicus, Ricciolius, &c. Et Ricciolius, quidem (a) ideo veriorem, & probabilissimum, ut ipse loquitur hunc annum putat nativitatis CHRISTI: quod id existimarit Dionysius, cui plus ait credendum, quam cæteris sive Patribus, sive Ecclesiasticis historicis: *qui non examinarunt hoc data opera, nec versati sunt in Curia Romana II.*,quod Romanorum Pontificum Curia hanc opinionem cæteris prætulerit, & etiam sententiæ Cassiodori. Cum autem ventum est ad morem hunc veterem Curiæ probandum, fatetur ea monumenta, in quibus ita anni consignantur, ad nostram cognitionem non pervenisse: producit tamen privilegium Cœnobii S. Medardi apud S. Gregorium, ubi tempus sic adnotatur: *datum VII. Kal. Junias anno ab Incarnatione Domini* 593., *Indictione* 11. Præterea ait in Conciliorum collectione Sabiniani Papæ mortem consignari anno Dominicæ nativitatis 606.: idem legi de Bonifacio III., & V. ac de Joanne IV. Ibidem etiam recitari epistolam Honorii Papæ ad Honorium Episcopum Dorovernensem datam *anno Dominicæ Incarnationis* 633. Ut hæc omnia,quæ Ricciolius attulit,vera essent: nihilo tamen minus efficeretur Dionysii auctoritate, atque eorum, qui post illum ejus sententiam amplexi sunt, cæte-

(a) Lib. 8. Chronol. cap. 4.

cæteris vetustiſſimis Patribus, aut Scriptoribus, & notis Chronologicis certiſſimis eſſe præferendam. Sed levia omnia inania, ac falſa ſunt. Primum quod Dionyſii teſtimonium, atque auctoritatem jactat, imperite facit. Etenim jampridem Petavius *(a)*, aliique viri docti notarunt æræ noſtræ vulgaris, ut a nobis uſurpatur Auctorem non eſſe Dionyſium. Ille etiam, ut optime Pagius admonet *(b)*, æræ nullius auctor extitit, ſed quam a Græcis uſurpatam invenit ad Latinos tranſtulit. Noſtræ vulgaris neque Dionyſium, neque Bedam eſſe auctorem fuiſe Noriſius *(c)* probat. Nihil eſt ergo, quod Dionyſii nomen hic alleget. Quod epochæ hujus uſum pertinet, male ille Gregorium producit: etenim locus cui ipſe nititur eſt ſuſpectæ fidei, atque obſervarunt Maurini in noviſſima Operum S. Gregorii editione, privilegium illud in nullis MSS. Codicibus inveniri excepto uno Victorino: quare in appendicem epiſtolarum S. Gregorii rejecere *(d)*. Annum, qui in vitis illorum Pontificum notatur unde Conciliorum collector hauſerit ignoro. Certe Anaſtaſius, quo in vitis Pontificum deſcribendis utuntur recentiores Conciliorum collectores, neque in Sabiniano, neque in Bonifacio, aut Joanne, aut alibi epocha illa utitur. In extrema quidem epiſtola Honorii Papæ ad Honorium Dorovernenſem anni ita recenſiti inveniuntur; ſed locum ſi probe inſpicias videbis Bedæ fuiſſe explicationem illam quamdam ab ipſo adjectam, ut ſuperiores epochas declararet; ex Beda *(e)* enim illa epiſtola tranſlata eſt in Conciliorum collectiones *(f)*. Quamquam id nos nunc non agimus, ut negemus hanc epocham ſæculo VIII. uſurpatam: inveniri hanc in ſæculi illius diplomatis teſtatur Mabillonius *(g)*, & Bucherius *(h)*. Quod negamus eſt in communi uſu poſitam fuiſſe, & vulgo uſurpatam. Quare idem Mabillonius ibidem tradit Carolingorum tabulas pleraſque hac epocha carere. Male ergo Petavium Ricciolius repræhendit narrantem ex Paulo Foroſempronienſi *(i)* epocham illam auctore Blondo Forolivienſi, qui Pontificii Collegii a ſecretis notarius erat ſub Eugenio IV. Pon-

*(a)* Lib 12. D.T.
*(b)* In Diſſ de Period Græco-Rom. n. 14.
*(c)* De Cyclo Paſchali Ravennate cap. 5.
*(d)* Tom. 2 Oper. pag 1.84.
*(e)* Lib. 1. Hiſt. Angl. cap 18.
*(f)* Tom. 5. Labb. pag. 1684.
*(g)* De Re Diplom. lib. 2. cap. 28.
*(h)* In Chron Reg Franc. ſect. 2.
*(i)* Lib. 13. cap 6., præter Petavium id referentem lib 12. D. T. cap 5., idem contendit Salomon Van-Til. in Diſſert. de an. Chriſti.

Pontifice admissam cum prius soli Pontificum anni in literis adscriberentur. Videat etiam; quem ipse Romanæ Curiæ usum pro se adducat; cum sit recentissimus. Sed de tota hac re fuse in dissertatione sua Heineccius (a), qui tamen pessime repræhendit Catholicos viros, quasi ejus epochæ antiquitatem jactent, cum eruditiores, ut vidimus omnes negent. Redeundum igitur illuc est unde discessimus ex hoc charactere certo colligi CHRISTUM natum ante vulgarē æram. Etenim Herodis mors ad hoc usque tempus differri non potest. Alterum. CHRISTUM natum esse ante annum Julianum 42., V.C.750., quo mortuus est Herodes ante Decemb. ex iis, quę toto hoc charactere collegimus sequi omnino videtur. Unde cæteræ omnes PP. etiā impugnantur sententiæ, quæ natale ante eum an. constituerunt; immo illa Lamy, qui illo ipso anno CHRISTUM natum credidit, eo quod Decembri natus sit. Ex superioribus autem characteribus nasci non potuit ante annum 748., ergo vel 748., vel 749. debet CHRISTI ortus constitui, quorum alterutrum doctissimi recentiores viri, quos initio retuli, selegerunt. Quamobrem multum est, quod huic Chronologicæ notæ debeamus; quæ ad biennium tempus, quo collocari CHRISTI Nativitas potest contraxit. At ultra aspirare, certumque, ac definitum annum invenire ex hoc charactere non licet: quod quidem vel ex iis, qui hoc facere tentarunt, & assecutos se esse gloriantur, liquet. Norisius ad Pagium scribens arbitrabatur Herodianæ mortis anno demonstrato annum quoque CHRISTI natalem in medio esse. Itaque de nummo Antipæ loquens hæc habet; *probabiliorem de anno natali* CHRISTI *Domini sententiam invicto ( modo nummus sit legitimus ) testimonio demonstrabis; nempe illam quam omnium primus Joannes Deckerius docuit, ac postea cæteris anteponendam duxerunt Petavius, Bucherius, Senescallus, Natalis Alexander, eruditus Auctor Anonymus libri Gallicè inscripti: l'antiquitè des tems retablie, quorum sententiam tu quoque probabiliorem censes; ipse vero eamdem etiam amplexus sum: & si nummus iste Herodis Tetrarchæ legitimus sit inposterum cæteris de natali* CHRISTI *opinionibus antiquatis unica prævalebit*. Contra vero ex ipso Herodis mortis tempore; & ex eodem nummo vir alter eruditissimus Blanchinus aliam sententiam de CHRISTI Nativitatis

tatis

(a) In syllog. opusc.

tatis tempore, atque alium annum sine dubio colligendum, affirmat; *solido quinquennio, ita ille scribit (a) ante æram communem eum natum fuisse nemo jam dubitat, qui nummum Herodis Antipæ inspexerit*: idemque repetit alio in loco. Alterutrum ergo annum CHRISTI natalem eligere, constitutus annus Herodis mortis, & Antipæ nummus permittit: definitum, certumque ex duobus unum non suppeditat. Supereſt autem, ut modo argumenta, quæ pro alterutro horum annorum afferuntur expendamus, & si iis certus annus constitui possit videamus.

## §.VI.

## *De iis, quæ inter* CHRISTI *Nativitatem, & obitum Herodis evenere.*

SUppeditabunt fortaſſe illum annum Magorum adventus; Puerorum Bethlehemiticorum cædes, CHRISTI fuga, atque in Ægypto commoratio; quæ omnia, Herodes cum viveret, contigerunt. Et illi quidem, qui ad CHRISTI natalem annum inveniendum Herodis charactere utuntur, non in ejus tantum mortem, ſed in hæc præcipue inquirunt, quæ ante ejus obitum, & poſt CHRISTI Nativitatem ſunt neceſſario interſerenda. Ergo alii ad hæc longius intervallum poſtulant, & anno uno anticipant CHRISTI ortum, figuntque anno V.C. 748. Juliano 40., aliis brevius ſatis eſſe videtur, & anno 749. cum Deckerio retinent. Utriuſque factionis rationes ſunt breviter declarandæ; & de hoc tertio primum; de fuga ſcilicet, atque in Ægypto commoratione agemus.

Quamdiu in Ægypto ſubſtiterit nemo Veterum diſerte affirmavit. Reliqui mire inter ſe diſſentiunt. Nicephorus (b) huic exilio tribuit annos tres, Lucidus 5., Adricomius 6., Harmonia, quæ Ammonii nomine falſo circumſertur, Gloſſa, aliique apud Bavadium (c) ſeptem annos. Contra Toynardus

(a) Opuſc.4. tom.2. Anaſtaſ. pag.10., & in S. Hygino pag 107.

(b) Lib.1.cap.14.

(c) Tom.1. Concord. lib.10. cap.10.

dus eam commorationem duorum dumtaxat mensium fuisse putat; mensium quoque paucorum Pezron, aliique recentiores. Quamobrem bene scripsit Calmet (a) *non satis constare, quo tempore redierit, & quamdiu in Ægypto permanserit.* Sed neque illud constat an mortuo Herode Ægyptum continuo CHRISTUS reliquerit. Videntur id sibi quidam colligere ex Matthæo (b); *& erat ibi usque ad obitum Herodis: defuncto autem Herode ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Occurrunt tamen sæpe similes loquendi modi, qui res differri aliquandiu permittunt; idque tradunt passim Interpretes, atque ex Theologis Suarez (c) non oportuit ait, ut statim eodem die, aut mense, quo mortuus est Herodes Josepho Angelus apparuerit, ut reditum pararet. Quod si continuo apparuisse volumus, Calmet tradit Angelum non admonuisse Josephum, ut in Judæam reverteretur nisi aliquanto post. Nam Joseph in Judæam cum pervenit, jam Archelaus Regni possessionem adierat: dicitur enim; *audiens autem, quod regnaret Archelaus pro eo*; si pace Archelaus regnabat, serius aliquanto hoc fieri oportuit, nimirum postquam Cæsaris Judicio Ethnarchiam impetraverat. Verum aliis fortasse videri posset ex ipso Evangelio inferri CHRISTUM regressum antequam Archelaus Romam iret: etenim, & tunc revera universum Patris Regnum obtinebat, & Rex appellabatur a suis; cum deinde solam Ethnarchiam obtinuerit, unde minus proprie regnare diceretur. Utcumque sit, ex CHRISTI reditu ab Ægypto nihil potest ad hanc quæstionem decidendam erui.

Sequitur, ut de Magorum adventu videamus, hinc quidam aliquid se collecturos sperant pro anno V. C. 784. CHRISTI nativitati attribuendo. Henschenius (d) verba Matthæi recitans: *ecce Magi, inquit, ab Oriente venerunt Hierosolymam, & ab Herode missi in Bethlehem intrantes domum, non stabulum invenerunt puerum in sinu Matris, non infantem positum in Præsepio, sicut Pastores ipsa nocte Natalis Dominici.* Putat igitur ex Evangelistæ verbis, quod *domum* dicat, quod *Puerum* appellet inferendum CHRISTUM a Magis jam grandiusculum adoratum fuisse uno, aut altero anno natum, ideoque ejus nativitatem longius a morte Herodis removendam, ac illi

(a) In cap. 2. Matt.
(b) Cap. 2.
(c) Tom. 2. in 3 p. qu. disp. 17.
(d) Exercit. 2.

li faciunt, qui eam anno Jul. 49. consignant, & ita præsidium sententiæ suæ de an. 48. invenisse. Papebrochius vero *(a)* in opinionis hujus confirmationem addit acceptas a Græcis imagines, in quarum altera Magi CHRISTUM adorant jam anniculum, vesteque non fasciis indutum. Adnotat etiam Græcos utrumque Mysterium conjungere: ut nocturno officio præmittant imaginem recens nati infantuli pannis involuti, jacentisque intra stabulum in Præsepi; diurno autem officio hanc ejusdem imaginem proponant: *ut licet*, inquit Papebrochius, *eodem die, non tamen eodem anno rem actam videantur credidisse*.

Hæc mihi non videntur esse hujusmodi, ut CHRISTUM jam grandiuscula ętate fuisse evincant cum Magi ad ejus adorationē venerunt, ut annum illum V. 748. CHRISTI natalem esse prodant. Nam quoad effigiem, in qua Magi CHRISTUM jam grandiusculum adorant, non ea solum, quam Papebrochius attulit, sed multæ præterea occurrunt apud Aringum *(b)*, & Ciampinum *(c)*. Numismata duo in Collegii Romani Musæo asservantur, quæ idem repræsentant; præterea alia duo, & marmoreum vetus fragmentum videre est apud Ciacconium *(d)*, aliā inspexi in Musęo eruditissimi P. Francisci Baldini Cong. Somasc. in pulcherrimo lapide Calcedon. sculptam, quam etiam dissertatione sua illustravit. Non multū tamen inde conficitur; cum alias proferre possimus, in quibus a Magis CHRISTUS adoratur fasciis involutus, atque in Præsepio jacens. Extant hæ apud eumdem Aringhum *(e)*. Præterea quis ignorat veteres illos Christianos in his fingendis, vel pingendis non tam rerum historiam, quam splendorem quemdam, speciemque spectasse; ut non vana suspicio sit ad Majestatem, dignitatemque exprimendam grandiusculum puerum efformasse. Possem hoc prolatis ex Ciampino, & Romæ subterraneæ Auctoribus exemplis multis declarare. Verum diverticula hæc ineundi nulla necessitas. Non enim video, quam pictæ, vel fictæ imagines hujusmodi auctoritatem adjungere possint, cum de tempore, quo factæ sunt non constet; & adversæ inter se reperiantur, nec sane artificibus omnibus plus tribuendum videatur, quam uni Epiphanio, qui idem quod isti subobscure

Y indi-

(a) In Ephemer. Græco-Mosc.
(b) Tom. 1. Romæ subt. lib. 2. pag. 325. 329. 331. 563. 587.
(c) Part. 2. Vet. Mon. cap. 12.
(d) In Vit. Pontif. edit. Romanæ an. 1630. Typis Vaticanis in Urbano VIII.
(e) Tom. 1. Rom. subt. pag. 355. 3 & tom. 2. pag. 295.

indicarunt, diſerte affirmavit (*a*) CHRISTUM bimulum a Magis adoratum. Nihil etiam mirum ex antiquioribus Patribus, quod aliquis affirmavit, id artifices inventos, qui exprimerent; cum alii aliorum ſententia ſequerentur. Epiphanio igitur, ut reſpondeamus, primum illud petimus; nocere ne nobis ejus auctoritas debeat, an rationes ab eo allatæ? Auctoritatem quidem nemo obiiciet, modo illius ſententia quæ ſit plane noverit: putat enim quinquennio ante Herodis obitum CHRISTUM natum; quod ſuſtineri ex dictis nullo modo poteſt. Rationes ædem ſunt, quæ recentiores poſtea ex eo, & in primis Henſchenius attulit, atque iis jampridem eſt a doctiſſimis viris ſatisfactum. Domum ille inculcat, in quam Magi ingreſſi ſunt: ſed quis inficiari poteſt vocem latinã *domus*, quæ in vulgata noſtra reperitur, & οἰκίαν, quæ in Græco textu, hoſpitium quodvis, ædiculam, cellulam, ſtabulum ſignificare? Svidas οἰκίαν ita interpretatur τὸ ὀστάτιον, κ̓οικίδιον τὸ οἴκημα, ἢ οἰκίον τὸ μικρὸν οἴκημα: Pollux (*b*) οἰκίδια explicat de beſtiarum, quæ domi aluntur cellulis, & aviariis: Harpocrates animadvertit οἰκίσκον dici ab Atticis, quod lingua communi dicitur ὀρνιθοτροφεῖον: Homerus (*c*)

> αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων
> φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον
> ζωὸν ἀφαρ δ' ἀφέηκε πάρος φίλα οἰκί' ἱκέσθαι

in quem locum multa Euſtathius (*d*). Sic etiam ex latinis Virgilius (*e*) *antiquaſque domos avium*, & Lucretius (*f*) canit *frondiferaſque domos avium*. Hebræis quoque, quod vir doctus Franciſcus Lucas adnotavit qnodlibet beſtiarum domicilium ſimili nomine appellatur, unde illud חסידה ברושים ביתה, quod noſter interpres vertit *Herodii domus* &c.; Aquila, Eugubino teſte, & Glycas (*g*) ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτῷ; alibi quoque ubi vulgata habet (*h*) *paſſer invenit ſibi domum* Hebræa legit: בית גם-צפור כוצאה. Nihil tamen neceſſe eſt longius iſta Pedagogorũ more perſequi. Etenim ſi volumus CHRISTUM a Magis ubi primũ natus fuerat adoratum, tueri nos poſſumus Cypriani auctoritate

(*a*) Hæreſ. 51. num. 9. Proferuntur ob aliquibus etiam Origenes, & Euſebius in Catena Græca MS. Regiæ Bibliothech. ad cap. 2. Matth. Laudati. At in eorum operibus nihil ſimile reperitur.
(*b*) I. Onomast.
(*c*) Iliad. μ.
(*d*) Pag. 900. edit. Romanæ.
(*e*) Georgic. 2.
(*f*) Lib. 1.
(*g*) Pſ. apud Hebr. 104. in lat. 103. tranſl. Τῷ ἐρωδιῷ ἡ κατοικία ἡγεῖται αὐτῶν
(*h*) Pſ. 83.

tate, qui locum illum, quem σπήλαιον Justinus, & Nyssenus dixit: *antrum*, *&* *stabulum* Augustinus; *Semiantrum* Beda, ipse appellavit *parvam domum*: quod magis etiam illi convenit si vera est Toleti (a), Cornelii a Lapide (b), Calmet (c), Petavii (d), aliorumque sententia, quam Cardinalis Gotti (e) certiorem longe ex Evangelio esse ait; diversorii ipsius publici partem, stabulumque fuisse. Quod si censemus hic *domum*, honestiorem quemdam locum significare a stabulo, atque antro longe diversum, non desunt, qui putent CHRISTUM recens ortum in locum commodiorem summa diligentia a Maria, & Josepho conquisitum, concessumque infanti a Bethlehemiticis Civibus, translatum: ita Maldonatus (f), aliique. Simile est alterum, quod obiiciebatur de *puero*, qui in Græco Matthæi textu est παιδίον: nam Homerus (g) puerum sive παῖδα vocat infantem recens natum *Αὐτόλυκος δὲ ἰθάκης ἐλθὼν ἐς πίονα δῆμον παῖδα νέον γεγαῶτα κιχήσατο θυγατέρος ἧς*; Chrysostomus (h) de Magis ipsis loquens ait, eos vidisse παιδίον ἐν σπαργάνοις: quid plura? CHRISTUS octiduum natus ita apud Lucam vocatur (i) *καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον* dicitur in græco textu: & in latino; *& postquam consumati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*. Puer ergo, & grecè παιδίον vocatur infans octiduo natus: quis nunc verbum tale ingerat ad probandum CHRISTUM grandiuscula ætate fuisse cum Magos exciperet? Responsum est omnibus, quæ Henschenius, & Papebrochius, atque Epiphanius ante eos attulerat ex Magorum adventu petitis: neque aliud hic subiiciendum videtur; nisi quis forte opponat illud præterea, nequaquam tantulo spatio, quantum a die 25. Decembris ad 6. Januarii excurrit, tantum itineris a Magis confici potuisse. Cui si breviter responsum velim, proferam doctissimi Viri Petri de Marca auctoritatem, qui (k) postquam Arabes eos fuisse probavit tredecim dierum spatio ex Arabia Bethlehemum eos venire potuisse demonstrat. Calmet quoque (l) scribit plerosque intra hos limites itineris Magorum tempus concludere, quod si nimium



con-

(a) Annot. 10. In cap. 2. Luc.
(b) In cap. 2. Matth.
(c) In cap 2. Luc.
(d) Part 1. Ration. lib. 4. cap. 2.
(e) Tom. 4 Verit. Relig. Chr. cap. 7. §. 3.
(f) In cap 2. Matth., ex Etherod. Grotius.
(g) Iliad. τ
(h) Tom. 6. in Matth.
(i) Luc. 2.
(k) In differt. de Mag. inter opusc. a Balutio edita.
(l) In differt. de Mag. . *certum tamen susceptì a Magis itineris tempus definire audet nemo; eum tamen plerique totum ejus itineris spatium intra 13. dies post exortum Christum concludunt.*

contentus, & velox hic cursus videtur, nihil tamen est, quod sententiæ de anno 41. Juliano propugnatores lædat. Etenim neque omnino constat die 6. Januarii Magos Bethlehemum venisse, & ad Purificationem usque, vel proximum tempus Tillemontius, Calmetus, Serry, aliique Magorum in Judæam adventum differrunt; & præcipue vero ignoratur, quando sit ab illis hoc iter susceptum; num ante CHRISTUM natum, vel post. Etenim hoc ex alio pendet, quando ab iis visa sit stella, unde idem Calmetus *(a)* *neque*, inquit, *constat de tempore spectati a Magis sideris: neque enim certi quicquam in ea re a traditione sive ab auctoritate repetitur; patuitne biennio ante ortum* CHRISTUM, *an ipso ejus nascentis articulo? Hæc omnia æque latent, & operosior de illis exquisitio tædium augeret non scientiam*. Vere hæc a Calmeto dicta videbit, qui veterum Scriptorum, recentiorumque opiniones leget. Augustinus, quidem *(b)* affirmat sub ipsum CHRISTI ortum stellam visam, idemque sæpius significat *(c)*. At Chrysostomus Magos multo ante *(d)* CHRISTI Nativitatem stellam vidisse ait; idemque ipse quoque sæpius repetit *(e)*. Biennio ante CHRISTI ortum apparuisse asserit Chronicon Alexandrinum, Nicephorus *(f)*, Auctor operis imperfecti; ex recentioribus Petrus de Marca, Petavius *(g)*: Toynardus intervallum hoc contrahit ad 16. menses: Monelia ipso conceptionis die visam arbitratur: Henschenius die desponsationis. Quamobrem dubius est hic locus de tempore primum visæ stellæ. Si id est, prævertere etiam possumus Magorum discessum, susceptumque arbitrari nondum CHRISTO nato. Facit hoc Chrysostomus laudato loco *(h)*; faciunt alii, qui e longinquis partibus, magisque dissitis Magos deducunt: nec vero necessarium esse putant hi totum illud tempus, quod CHRISTI Nativitatem stella antecessit pere-

(a) Ibid.
(b) Serm. 32. de temp., in nov. edit. 202.
(c) Omnibus Sermon. præced.
(d) πρὸ πολλοῦ τοῦ χρόνου.
(e) In eamdem hom. 7. in Matth.
(f) Lib. 1. cap. 13.
(g) qui August. citat. Serm. 5. *de Epiph. Domini, & Salvatoris*: dubius tamen est Lovaniensibus, a Maurinis rejectus in appendic. Tom. 5. pag. 218.
(h) Hom. 6. in Matth. ἐπειδὴ γὰρ πολὺν κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν ἔμελλον ἀναλίσκειν χρόνον οἱ μάγοι ἵνα εὐθέως ἐπιστῶσι τῷ τεχθέντι. ἔδει γὰρ ἐν αὐτοῖς προσκυνηθῆναι τοῖς σπαργάνοις ἵν᾽ ὅπερ ἦν τὸ θαυμαστὸν καὶ παράδοξον φανῇ τοῦ πράγματος. πρὸ πολλοῦ τοῦ χρόνου δείκνυσιν ἑαυτὸν ὁ ἀστήρ. εἰ γὰρ ἡνίκα ἐτέχθη ἐν Παλαιστίνῃ, τότε αὐτοῖς ὤφθη ἐν τῇ ἀνατολῇ πολὺν κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν διατρίβοντες χρόνον, οὐκ ἂν ἐν σπαργάνοις εἶδον αὐτὸν παραγενόμενοι.

peregrinationi Magorum assignare, atque illos visa stella continuo in viam mittere. Instanti enim cur serius Magi profecti sint respondet Petavius (a): *quia prius illis significatum non erat ad Messiæ Regis ortum pertinere stellam, vel si antea moniti fuerant, cujus prænuntium sidus illud esset, una & tempus indicatum est, quo se ad iter compararent*: pergit deinde; *quid si principio stella ista sublimior, cæloque vicinior apparuit; ita ut cæterarum ortus, & occasus imitaretur; postea vero in citima sese terris loca demiserit, ac tum Magi ad iter capessendum divinitus excitati sunt? Hæc opinio cum Matthæi verbis magnopere quadrat*. Hæc Petavius, cui nec assentimur, nec repugnamus, sed illud dumtaxat asserimus nullum esse petitum, ex diuturnitate itineris argumentum ad probandum CHRISTUM jam grandiusculum, & secundum agentem annum a Magis adoratum fuisse. Etenim quamvis,qui id volunt,utcumque Epiphanii se auctoritate tueri possint habent tamen cæteros Patres, atque adversariam antiquitatem omnem. Nam primo Chrysostomus mox memorato loco tradit Magos paulo post CHRISTI ortum adoratum illum venisse. Deinde omnes ferme Patres communi consensu tradunt in spelunca ea, in qua erat natus a Magis inventum. Hoc præter eumdem Chrysostomum (b) Justinus affirmat (c), Gregorius Nyssenus (d), Augustinus (e), Hieronymus (f). Auctor operis imperfecti (g) prçter Rabanum, Bernardum, S.Thomam, aliosque multos. Itaque ex Theologis *veriorem*, *ac communiorem* hanc sententiam dixit Franciscus Suarez (h): Baronius vero (i) scribit, *jure redargui*, *qui aliter senserunt*. Sed quamvis in Præsepi, & natali antro id non acciderit,certe Bethlehemi Evangelista teste convêtus est a Ma-

(a) Lib.8.D.T.cap 8.
(b) In orat. de S. Philog. Tom.1. pag.498. ex recens. Monts. ..ὅπου μάγοι μὲν ἄνθρωποι βάρβαροι καὶ ἀλλόφυλοι ἐκ Περσίδος τρέχωσιν ὥστε αὐτὸν ἰδεῖν ἐπὶ τῆς φάτνης κείμενον.
(c) Contra Tryph. καὶ ἐν φάτνῃ αὐτὸν ἐτεθείκει, ὅπου ἐλθόντες οἱ ἀπὸ Ἀραβίας μάγοι εὗρον αὐτόν
(d) Orat in d. Nat. οἱ μάγοι ... προφθάνουσι τῇ γνώσει Ἰσραηλίτην λαὸν, καὶ τὸν οὐράνιον φωστῆρα γνωρίσαντες, καὶ τὸν ἐν σπαργάνοις βασιλέα μὴ ἀγνοήσαντες.
(e) Enarrat. in Ps 44. num.3. *Pulcher natus infans Verbum, quia & cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur cæli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos Stella duxit, adoratus est in Præsepi, cibaria mansuetorum*: & Serm.30. de temp in nov edit.200; *magnum Sacramentum; in Præsepi tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat, abscondebatur in stabulo, & adorabatur in cælo; ut agnitus in cælo manifestaretur in stabulo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod latine manifestatio dici potest*.
(f) Epist.18.ad Marcellam. (g) In c.2.Matt.
(h) In 3. p. disp 14. art.8. sect.4.
(i) Ad ann.1.n.34.

Magis. Quomodo vero fieri id potuit anno, vel biennio postquam est natus jam elapso? Non enim arbitrandum est longe a patria, domoque in summa rerum omnium penuria diu substitisse CHRISTI Parentem, & Josephum, sed dumtaxat, quantum necessitas postularet, ne puerum recens natum exponerent itineris incommodis perfrigida tempestate. Et Epiphanius quidem eo rem deducit, ut velit biennio post CHRISTUM natum eo se Parentes Nazareto contulisse ὡς εἰς τὴν πανήγυριν ταύτην; quod Petavius (a) vertit *velut ad eamdem celebritatem*; atque ita explicat, ut putet Epiphanium loci illius, in quo natus erat Dominus celebratam memoriam πανήγυριν appellasse. Sed hæc Epiphanii opinio minus satisfacit viris doctis. Itaque ab eodem Petavio in illum Epiphanii locum contraria sententia, quæ Magorum adventum propius admovet ad CHRISTI Nativitatem *probabilior, communis, ac recepta* dicitur (b). Atque ex duobus annis 40., & 41. Julian., in quos conferri posse ostendimus CHRISTI Nativitatem, neutrum ex Magorum adventu, aut excludi, aut confirmari.

Superest tertium caput de puerorum cæde. Etenim in Evangelio (c) dicitur Herodes omnes pueros occidisse *a bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis.* Vetus hoc argumentum est, & cum supra recensitis ab Epiphanio allatum; sed vetus quoque extat ejus refutatio: quare Petavius, quasi actum agere vereatur dumtaxat, ait; *hunc nodum jampridem dissolvisse eruditos sacrarum literarum interpretes*. Sunt tamen nunc quoque, qui in eo præcipuum sententiæ suæ præsidium collocant viri doctrina, & eruditione præstantes: atque hic illis prodere se veritas videtur, hic adversarios concidi, & veluti in scopuloso quodam, invioque loco ad herescere; quod quale sit videamus: tria autem si quicquam efficere volunt sunt illis demonstranda: primum, cum duæ ętates puerorum significentur bimula, & quę infra bimulam ętatem est illud *secundum* non inferiorem hanc, sed primam dumtaxat appellare, & ad bimulos pueros solum referri: alterum idē *secundum* non rationem quamcumque, sed rationem, quam dicunt *æqualitatis* significare. Denique *tempus*, quod ibi nominatur tempus nativitatis CHRISTI significare, vel si tempus signi-

(a) In Notis ad Epiphanium.
(b) Hanc revera amplectuntur Sacrarum Scripturarum interpretes, & Scriptores fere omnes.
(c) Matth. 2.

significat ortus Stellæ, Stellam ipso CHRISTI nascentis die primum apparuisse. Quodcumque ex his non demonstretur argumentum labatur, & corruat omne necesse est; atqui horum probatio, quam sit difficilis eorum argumenta docent. Nam primo nihil afferunt, quo ostendat hic *tempus* diem CHRISTI natalem significare: immo tempus, quod a Magis exquisivit Herodes nullum aliud fuit, quam tempus orientis Stellæ: Stellā autē tunc primum ortam, cum CHRISTUS est natus jam supra vidimus nulla ratione evinci posse. Neq; magis constare puto adverbium illud *secundum* ad occisos pueros bimulos referendū, non ad alios minores natu. Nam ad hos refert Euthymius, quem Euthymium Joannes Maldonatus (a) dicit esse *in verborum proprietatibus observandis diligentissimum*: hic ergo ex versione Joannis Hentenii ita illum locum explicat; *secundum tempus, quod exquisierat a Magis non in eo, quod dicitur a bimatu intelligas sed in eo, quod additur. & infra; oportet enim post id, quod dicitur a bimatu distinctionem ponere, deinde totum, quod sequitur simul legere.* Idem facit post Euthymium, Cornelius Jansenius, & Baronius. Quod tamen probatu arbitror esse omnium difficillimum est crudelissimi, ac suspiciosissimi Tyranni furorem ita continere, ut ultra tempus intra, quod Stellā visā Magi renuntiaverant non excurrerit: adeoque illud *secundum* significare visę Stellę tempus ęquale esse puerorum interfectorum ætati. Negat hoc Petavius, negat Estius, negat Jansenius, negat Emanuel Sa, negat Calmet. Maldonatus vero *acerrimi vir judicii*, ut eum Labbeus appellat totum illud Lucæ locum ita interpretatur, ut putet *secundum tempus, quod exquisierat a Magis* significare tempus præcedens visionem Stellæ: ita ut Herodes cum cavere sibi maxime vellet interfecerit omnes, qui biennio antequam Stella paruerat nati erant; & præterea alios ab ortu Stellæ ad illud usque tempus. Ante hos omnes Euthymius; *quod si*, inquit, *a bimatu, & infra jussit Herodes pueros interimi, ne mireris. Suspicabatur enim non statim apparuisse Magis Stellam, sed fortassis puerum ante ejus apparitionem natum fuisse. Ideo securitatis causa tempus anticipavit, & usque ad fines Bethlehem cædem extendit, ut undique, quod venabatur concluderet; & una cum interfectorum multitudine etiam* CHRISTUM *interficeret.* *Eos ergo, qui bimuli erant occidit,* *ut*

(a) In cap. 17. Matth.

*ut tempus ampliationem haberet sicut prædiximus: illos vero, qui minoris erant ætatis secundum tempus, quod exquisiverat a Magis. Itaque, & tempus, quod a Magis didicit observavit, & latitudinem alteram ipse adjecit.* Hæc Euthymius, quæ sine dubio, ut cætera ferme e Chrysostomo expressit. Etenim Chrysostomus loco supra laudato negat quemquam mirari debere Herodem ad bimulos pueros necem extendisse; id illi pavoré, furoremque suggessisse, ne elaberetur is, cujus causa cædes erat potissimum instituta, itaque tempus indicatum a Magis ipsū ampliasse (*a*). Et profecto, quis ambitiosum hominem, & furoris æstu percitum in Regni, ut ipse putabat, discrimine, putet adeo exacte terminos voluisse circumscribere, ut si tantillum Magi, vel oblivione, vel errore peccassent, regnum sibi esset amittendum, cædes vero omnis frustra fuisset intentata; præsertim cum non id servaverit in definiendo loco. Bene Canus (*b*) *sed ais, cur bimos interfecit si non secundum tempus Stellæ? Respondeo, cur in omnibus finibus Bethlehem. si in Bethlehem juxta Prophetam natus est* CHRISTUS? *Quemadmodum ergo ex propria malitia ampliavit locum, sic ampliavit & tempus.* Quamobrem sicuti Herodes scribis Populi, & Sacerdotum Principibus docentibus ex Propheta in Bethlehem CHRISTUM oriturum, ita fidem habuit, ut suspicaretur non ipsam urbem a Propheta designatam, sed vicinia quoque, & Bethlehemitici agri fines ita suspicari potuit, & suspicatum certo affirmare possumus non eo strictim tempore, quo Stella primum visa est, sed aliquanto ante CHRISTUM esse natum. Aliam adducit causam Augustinus apud D. Thomam, qui scribit (*c*); *ideo non solum bimos pueros interfecit, sed etiam infra, quia ut Augustinus dicit in quodam sermone Innocentium, timebat ne puer, cui sidera famulantur speciem paulo supra ætatem, vel infra transformaret.* Quamobrem *secundum* illud non est ita rigide accipiendum, quasi æqualitatem significet, inter visæ Stellæ tempus, & occisorum puerorum ætatis; sed ita ut in temporis putationem advocet Herodis timorem, regni retinendi curam, ambitionem, crudelitatem. Concludam cum viro doctissimo Petro de Marca (*d*); *quare rationem in eo facinore quæsumus, quod furo-*

[*a*] οὐδὲ αὐτὸ διετοὺς ἀναιρεῖ καὶ κατωτέρω μὴ θαυμάσωμεν. ὁ γὰρ θυμὸς καὶ τὸ δέος ὑπὲρ πλείονος ἀσφαλείας, καὶ πλείονα προστίθησι χρόνον ὥστε μηδένα διαφυγεῖν.

[*b*] Lib 11. loc Theol. cap. 5.

(*c*) 3 p. qu. 36. art. 6. ad 3.

[*d*] Loc. cit.

*furore potius patratum est, quam consilio?* Nihil ergo subsidii ad sententiam suam confirmandam auferent, qui anno Juliano 40. CHRISTUM natum arbitrantur: & miror viros cæteroquin doctos hoc uno textu existimare se implicatissimam quæstionem posse aliquando finire: ita illis videtur eorum sententiam adjuvare. Certe id nequaquam vidit Chrisostomus, non id Euthymius: Petavius, de Marca, Calmetus, aliique viri doctissimi, quos supra nominavi id non viderunt: quod autem iis apertum non fuit, aut quod obscurum judicaverunt, hi ita patere pronunciant; ut unico intuitu intellectum captivare videatur, quod nobis quantumvis accurate eorum rationes omnes perpenderimus non contigit.

Atque hujus quidem sententiæ fautores hinc maxime præmuntur; quod si quicquam hic efficere volunt, coguntur vel Magorum adventum ad alterum annum a CHRISTO nato differre; vel eum quidem sub CHRISTI ortum statuere, longius vero rejicere puerorum cædem: ab eorum discessu, quorum utrumque a veritate abhorret. Et primum quidem superius, & sapientissimorum Patrum auctoritate, & inconcussis refutavimus argumentis; alterum vero nimirum infantium cędem tamdiu distulisse Herodem arbitrari quis poterit, modo ejus ambitionem, furorem, crudelitatem paulisper attendat? Erat enim, ut ex totius vitæ cursu, & rebus gestis patet Regni appetentissimus, & Josepho teste (a) vir peræque in omnes crudelis, qui legibus dominaretur, iræ serviret. Fusè versat hoc argumentum Florentinius (b), atque animadvertit nequaquam esse probabile, cum Magorum adventu, & nati Regis novi nuntio maxima esset Herodi ingesta cura, & Hierosolymitanis omnibus, non sedulo ad puerum recognoscendum incubuisse; *non enim, vel Magi, qui sapientes putabantur poterant existimare facile decipi, neque uti rem levioris momenti, quod illi percunctabantur negligere debuerunt, præsertim, qui ex eorum adventu, & instantiis Herodes non minus turbatus fuerat, quam omnis Hierosolyma cum illo.* At enim, inquiunt, minus se cautum Herodes, aut incredulum ipso facto declaravit. Non enim Pastorum sermonibus aures de-

 dit,

(a) Lib. 17. cap. 10. ἀνὴρ ὠμὸς μὲν εἰς πάντας ὁμοίως καὶ ὀργῆς μὲν ἥσσων, κρείσσων δὲ τοῦ δικαίου.

(b) Exercitat 3.

dit, quos certum est de nato puero non tacuisse, cum Lucas testetur; *omnes qui audierant mirati sunt de his, quæ dicta erant a Pastoribus ad ipsos (a)*. Neque ille, ut facile factu fuit, atque id debuisse etiam videtur, ex suis aliquem cum Magis Bethlehemum allegavit. Preterea si Bethlehem Magi pervenere die 6. Januarii, 28. saltem dies de eo nihil cogitavit: quare, & Hierosolymam CHRISTUM Virgo adducere, & Nazaretum inde, ut Evangelista narrat (b) repetere potuit. Addunt alii oblitum omnium Herodem de CHRISTO nunquam cogitasse, nisi cum ingravescente morbo, ne sub ejus obitum læti essent Judæi, Regemque alium, quam quem ipse reliquisset quærerent, & illorum nobilissimos in circo necandos conclusisse, & ad Bethlehemiticorum puerorum cædem vertisse animum, quos inter Antipatrum filium occisum Macrobius testatur. Verum, ut his ordine respondeam, aliud est abjectorum hominum sermonibus, atque opilionum, & vulgi rumori non credere, aliud nobilium advenarum, quique sapientiæ laude florerent fidem dictis non adhibere: præsertim cum eos e longinquis, remotisque terris anni tempestate perincommoda, imperitosque viarum itineri se dedisse viderent. Quod additur e suis neminem cum Magis misisse, id mirum videri minime debet, cum Magis ipsis properantibus alios mittere opus non esset, neque enim, qui ita palam Hierusalem intrarunt, & de puero interpellarunt verebatur ad se illos redituros, cum de nefario consilio celasset, atque ita provisum satis rebus suis arbitraretur. Cædem puerorum morti proximum imperasse repugnamus; neque ejus rei Macrobius affertur idoneus testis. *Cum audisset*, inquit de Augusto (c) *inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, melius esse, Herodis porcum esse, quam filium*. Baronius quoniam Antipatrum Macrobius non nominat fuisse putat infantem recens natum: quod si esset tempus secutæ cædis ignoraretur. Grotius contendit duas historias in unam confudisse. Esto notetur a Macrobio Antipater; unicam historiam, eamque distinctam, & veram narraverit; quemadmodum Hvetius vult (d); non eam tamen vim esse arbitror voculæ illius *inter*; ut unum idemque tem-

(a) Luca 2.
(b) Ibid.

(c) Lib. 2. Saturn. cap. 4.
(d) Dem. Evang. Prop. 9. cap.

tempus significet. Hoc bene idem Hvetius animadvertit contra Grotium, declarans Antipatri interitum post παιδοκτονίας evenisse: ficuti enim τὸ *inter* unum, eundemque locum hic non indicat, neque enim Bethlehem occisus est Antipater, non video cur unum, eumdemque diem significare, debeat affirmari. Omitto Macrobium quarti sæculi fuisse Auctorem, & fidei non prorsus indubbiæ: illudque de suo proferre data occasione censeri debet; facetū namque Augusti dictum filii solius meminit; illud enim, & infantibus alusisse, sed eam partōomissam, ut suspicatur Monelia, non admittimus. Itaque non adeo apertus est hic Macrobii textus, aut tanta ejus auctoritas, ut rationes omnes, quę cōtra militant contemnere debeamus, & anno uno cum dimidio infantium stragem a Magorū adventu removere possimus. Mensem unum dilatam, mirum id visum Augustino, atque hujusmodi, unde argumentum peti posset ad convellendam sacrorum librorum fidem. Quamobrem in libris de Evangelistarum consensu (*a*) totus est in hac cunctatione excusanda, atque inter cætera, illa habet: *postquam Herodi Magi non renuntiaverunt, eum credere potuisse illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non invenerunt, quem natum putaverant erubuisse ad se redire, atque ita cum timore delapso ab inquirendo, ac persequendo puero quievisse. Cum ergo post purgationem Matris ejus in Hierusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in templo, quæ a Luca narrantur, quia verba Simeonis, & Annæ de illo prophetantium cum cœpissent ab eis, qui audierant prædicari ad pristinam intentionem revocaturi erant animum Regis, admonitus per somnium Joseph cum infante, & Matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ, dictæque fuerant, Herodes se a Magis sensit illusum; ac deinde ad* CHRISTI *mortem cupiens pervenire multos infantes, sicut Matthæus narrat occidit*. Si ergo 28. dierum mora incredibilis pœnæ videtur, quid adversarii annum, vel biennium addunt; aut quæ hæc est illorum argumentatio: Herodes mensem distulit puerorum cædem, ergo annum, ergo biennium distulit. Et Augustini quidem rationes, ut bene Tillemontius (*b*) observavit, nihil nisi exiguam moram excusare possunt, nihilque illis melius, atque opportunius excogitari potuit, ad longius intervallum traduci non possunt;



(*a*) Lib. 2. cap. 11. (*b*) Not. 9. in Hist. J. C.

quin etiam brevius illud ipsi durius videtur; itaque mavult adventum Magorum ad tempus Virginis Purificationis differre. Calmetus etiam uno post Christi ortum mense collocat; Toynardus ad diem 1. Februarii; Serry 26., vel 27. Januarii. Inter hos etiam numerari potest Florentinius, qui concludit; *aut igitur fatendum est non statim ac se delusum sensit Herodem infanticidium Bethlehemiticum mandasse; quod in Rege iracundissimo, & juris regnandi zelotypo vix credibile est, aut omnino adventum Magorum post oblationem, & purificationem incidisse statuendum est*. Me Augustini auctoritas, & Ecclesiæ mos præcipua Mysteria tempore suo celebrandi persuadet, ut mensem unum sustineam Herodis crudelitatem; atque existimem ad tantum scelus, cædemque nefariam, quæ invidiam illi factura erat ingentem priusquam descenderet luculentius testimonium aliquod expectasse; tempus etiam percunctando, explorandoque trivisse. Cum autem ex iis, qui in Hierosolymitano templo ipso die purificationis adfuerant, quod acciderat cognovisset, putassetque jam Bethlehemum, domum, ut credebat, suam remeasse; tunc vero puerorum cædem imperavisse. Certe quod Hierosolymæ in ipsa Regia Urbe acciderat latuisse eum non est dicendum; non fuisse vero permotum, neque suspiciosum hominem, regiique nominis retinentissimum ad Regnum quocumque poterat modo tuendum animum applicuisse, neque effundere voluisse, quam ferè per mensem continuerat rabiē, ac crudelitatem, dictu est omnino incredibile. Non est igitur dicendum puerorum cædem, vel annum, vel biennium distulisse, si rem ipsam, si veterum auctoritatem, si recentiorum hominum doctissimorum sententias attendimus. Itaque ex omnibus his, quæ post Christi ortum ad mortem usq; Herodis contigerunt nihil colligi potest, quo suadeatur Christum ortum anno V.C. 748. Atque hactenus quidem visi sumus improbare corū sententiam, qui pro Christi ortum statuunt anno Juliano 40.; sed nos id non fecimus: tantū conati sumus patefacere ex hoc illam charactere non confirmari, & eam multo minus anni 41., sed hæc omnia in utraque sententia optime, commodeque explicari. Attamen neutram, aut improbamus, aut eligimus, dum notas omnes, quibus ad annum Christi natalem constituendum Chronologi utuntur, non percurramus.

§. VII. De

## §. VII.

## *De* CHRISTI *Baptismatis tempore.*

PEtavius in hanc quæstionem ingressus, hæc statim initio habet (*a*); *qui natalem Domini certo anno definire conati sunt annum omnes Lucæ testimonium usurparunt, ubi de* CHRISTO *ad baptismum accedente ita scribit: & ipse Jesus erat quasi annorum triginta incipiens filius, ut putabatur Joseph filii Heli*: præclare. Extat Danielis Papebrochii Consultatoria Epistola ad Petrum Possinum, *super anno* CHRISTI *trigesimo apud Lucam, & Evangelicæ historiæ principio exinde ordinando* (*b*). Etenim cum significare Lucas videatur CHRISTUM baptizatum anno Tiberii XV., atque addat CHRISTUM tunc fuisse annorum 30., ab anno XV. Tiberii retro numerantes annos triginta, facile colligere sibi videntur annum CHRISTI natalem. Hanc methodum præ cæteris usurpavit Benedictus Millinus in dissertatione sua *de anno, quo natus est* CHRISTUS, *& de anno, quo passus est* (*c*). Verum multum præpedita est hæc via. Quamvis enim certo apud omnes constaret de anno Tiberii XV., cui vulgaris æræ anno respondeat, & quo ejusdē ęrę anno fuerit CHRISTUS baptizatus (de quo infra disputabimus) non constat, quo præcise anno ætatis suæ ad baptismum ipse accesserit, & salva Evangelii fide liberum Auctores putant aliquantum divagari. Itaque anno ętatis 31. baptizatum vult Baronius; 32. Deckerius, & Tirinus; 33. Natalis Alexander, qui ait in ea sententia multos esse è Parisiensi facultate doctissimos Theologos. Hanc etiam sententiam non improbat Papebrochius (*d*), atque affert Irenæi illud (*e*); quod jam in ætatem seniorem declinabat CHRISTUS quando docebat, idque se ex ipso Joanne audisse seniores testari. Petavius vero in Epiphanium agens de vulgari methodo, qua CHRISTI natalis annus investigatur scribit: quamquam aliquis CHRISTUM anno 28., vel 33. ætatis suæ baptizatum esse diceret, non tamen Evangelicæ veritati judicio suo repugnare, quod uberius explicat; posteaquam particulæ ὡσεὶ, quæ in Græco textu

(*a*) Lib. 12. D. T. cap. 9.
(*b*) In Propylæo ad Act. SS. Maii.
(*c*) Edita Romæ.
(*d*) Dissert. 2. in Propyl.
(*e*) Lib. 2. cap. 19.

textu (a) est posita, & in qua controversiæ, quæstionisque cardinem residere censet, triplicem potestatem declaravit. Ait enim in Lucæ textu ἀοριστικῶς, vel ἐνδοιαστικῶς, sive dubitative sumi, neque ita sumptam particulam illam paucorum dierum tantum, aut mensis unius, immo anni discrimen facere; sed qui paucis infra, aut supra numerum consistit trigesimum, ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν dici posse. Nam cum Matth. 16. scriptum sit Dominum esse transfiguratum μεθ' ἡμέρας ἓξ ab instituto sermone; Lucas eamdem historiam exponens (b), factum esse id narrat ab eo sermone post dies ὡσεὶ ὀκτώ; quo loco eadem ὡσεὶ vocula usus est, cum ad verum numerum biduum, hoc est tertiam partem addidisset. Hæc cum Keplero Petavius; quibus addat, qui volet aliud Natalis argumentum; *ut Mysterium SS. Trinitatis, quod in baptismatis splendescit Sacramento indicaretur, ideo* CHRISTUM *ad baptismum accessisse non tantum post tres annorum decadas, sed etiam post tres monadas, hoc est post annos ætatis 33. completos*. Fortasse hæc non omnino probabuntur viris doctis, qui Evangelici textus vim eam esse existimabunt, ut nisi necessitas ingruat aliqua numero, quem Evangelista expressit propius sit inhærendum. Si id sentiunt, faciunt, quidem me lubente, qui etiam argumenta a Papebrochio, & Petavio allata minus idonea ad id, quod volunt comprobandum arbitror. Video enim illum Irenæi textum ab eruditissimis viris, vel suppositum judicari, & aliena manu infartum, quod Baronius contendit (c), Pagius (d), & uberrime Honoratus (e); vel si legittimus judicatur, notari tamen quasi aliquid contineat a veritate, & communi cæterorum Patrum sensu alienum. *Hæc Irenæi opinio*, inquit Nicolaus le Nourry (f), *ut erronea, & veritati minime consentanea ab omnibus penitus reiicitur*: idemque fere habet, qui Irenæi opera novissime recensuit, illustravitque Renatus Massuet (g). Quare nihil huic opinioni commodare potest locus, qui a viris doctis, vel abhorrere a veritate, vel adulterinus esse existimatur. Neque quicquam prodest, quod affertur ex Matthæo, & Luca, quorum alter post dies sex factum narrat, quod alias

(a) Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος.
(b) Cap. 9.
(c) Ad an. 34. num. 141.
(d) Ad illum an. Baron.
(e) Lib. 5. Differt... art. 90.
(f) Apparat. Differt. 6. cap. 7. §. 3.
(g) Diss. ... art. 6. num. 70.

alias evenisse dicit post fere dies octo. Etenim variationem istam, sive bidui discrepantiam non faciunt particulæ ὡσεὶ, *fere*, sed computandi ratio alibi, quoque ab Evangelistis usurpata, & a cæteris sæpe antiquis scriptoribus; ut numerando includant summę utrumque extremum. Itaque S. Hieronymus edisserens hunc locum; *facilis*, inquit, *est solutio; quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur, & extremus (a)*. Eadem est Chrysostomi (*b*): eadem Augustini sententia (*c*). Nihil ergo efficiunt hujusmodi argumenta, & tantam aberrationē ab anno trigesimo pati non videtur Evangelii ille locus; propius ergo anno, quē Evangelista nominavit adhæreamus. Nihil tamen idē magis efficitur certum, ac definitum baptismi annum ex Luca colligi. Quis enim hoc illa auctoritate evicturum speret anno trigesimo ineunte, non expleto, aut contra trigesimo jam finito CHRISTUM baptizatum. Patres quidem, si eos consulas, noluisse definire hanc controversiam videntur: etenim Evangelii verba, vel eis similia omnino adhibuerunt. Ita Clemens Alexandrinus (*d*), Eusebius (*e*), Hieronymus (*f*), Augustinus (*g*). Justinus vero (*h*) dubitationem hanc plane confirmat scribens CHRISTUM cum ad baptismum venit annos numerasse triginta plus minus. Duo sunt, qui pro annis 30. solum inceptis, necdum completis stare videntur Irenæus (*i*), & Epiphanius (*k*). Verum alte-

(*a*) In hunc loc.

(*b*) Hom. 62. ὕστερον δὲ μεθ' ἡμέρας ὀκτώ φησιν οὐκ ἐναντιούμενος τούτῳ, ἀλλὰ καὶ σφόδρα συνᾴδων. ὁ μὲν γὰρ καὶ αὐτὴν τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐφθέγξατο, κἀκείνην καθ' ἣν ἀνήγαγεν αὐτοὺς, οὗτος δὲ τὰς μεταξὺ τούτων μόνον.

(*c*) Lib. 2. de consens. Evang. cap. 56. *quod autem Marcus post sex dies factum dicit, sicut Matthæus; Lucas autem post octo, non contemnendi sunt si quos movet, sed ratione reddita dissolvendi: dies enim quem pronuntiamus dicentes, post tot dies, aliquando non annumeramus eum, in quo loquimur, & eum quo res ipsa futura est, quam prænuntiamus, vel pollicemur, sed medios, post quos revera plenos, atque integros illud futurum est; hoc fecit Matthæus, & Marcus excepto eo die, quo hæc loquebatur Jesus & illo, quo exhibuit memorabilem in monte visionem, medios dies intuentes dixerunt post 6. dies; quod ille annumeratis finalibus, idest primo, atque ultimo, dixit, post octo dies; eo loquendi modo, quo pars pro toto commemoratur.*

(*d*) Lib. 1. Stromat. ἦν δὲ Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν λʹ male hunc locum Monella corrigit legens ἀρχόμενος.

(*e*) Lib. 1. H. E. c. 10. ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἐπὶ τὸ Ἰωάννου βάπτισμα παραγίνεται.

(*f*) In cap. 1. Ezech., *& factum est in trigesimo anno secundum anagogen præfiguratur Dominus, atque Salvator, qui 30., annos natus venit ad Baptismum.*

(*g*) Lib. 2. de Doctr. Christ. *annorum quidem fere triginta Baptizatum esse retinemus auctoritate Evangelica.*

(*h*) In Dial. cum Tryph. τριάκοντα ἔτη ἢ πλείονα, ἢ ἐλάσσονα &c.

(*i*) *Ad Baptismum enim venit nondum qui 30. annos suppleverat, sed qui inciperet esse tanquam 30 annorum veniens ad Baptismum* lib. 2 c. 22.

(*k*) ἐν γὰρ τῷ μὲν ὄντι εἴκοσι ἐννέα ἐτῶν, καὶ μηνῶν δέκα ὄντι ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἦκε τριάκοντα μὲν ἐτῶν, ἀλλ' οὐ πλήρη· διὸ λέγει ἀρχόμενος ὡς ἐτῶν τριάκοντα hæres. 51. num. 16.

alterius auctoritati nonnihil hic eruditi detrahunt, quod de anni Christi mortis, ac nativitatis disputationem de proprio ingenio istituens ea persequatur, quæ sententiam suam juvare possunt. Alter an hæc ipse ex sensu suo, an de hæreticorum sermone proferat, non liquet. Massuetius scribere hæc eum in hæreticorum sententia putat: certe supra, idem, quod cæteri Patres de Christo scripserat; *triginta quidem annorum existens cum veniret ad baptismum &c.*, nihil definiens incœptosne eos, an completos intelligere debeamus. Relinquitur Isychius quicumque ille sit auctor commentariorum in Leviticum, qui *(a)* aperte sententiam suam declarat de annis 30. incœptis. Verum huic inferiorum ætatum (a plerisque enim Sæculo VII. floruisse existimatur) opponi potest Chronicon Alexandrinum, ubi *(b)* Christus dicitur baptizatus anno ætatis suæ trigesimo expleto, decurrente trigesimo primo: Alcuinus *(a)*, Cedrenus *(c)*, Bernardus *(d)*, & præ reliquis Beda *(e)*, cujus est illa celebris vox; *habet ni fallor Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plusquam 33. annis, usque ad sua tempora passionis vixisse.* Quamobrem si antiquissimos Patres consulamus nihil illi conferunt ad hanc quæstionem finiendam: etenim, ut Evangelista, hoc tantummodo dicunt Christum anno trigesimo baptismo perfusum; quod æquè de incœpto trigesimo, ac de trigesimo completo intelligi potest: si Scriptores inferiorum ætatum, varie eorum inveniuntur, discrepantesque sententiæ. Atque hoc idem de Recentioribus valet; Nam S. Thomas *(f)*, Albertus M. *(g)*, Cajetanus, Salmeron &c. 30. expletum tuentur. Contra annum 30. inchoatum Lyranus, Dionysius Carthusianus *(h)*, Jansenius, Pererius, Baronius, Toletus *(i)*. Quamobrem miror nonnullos, homines cæteroquin doctos rem hanc veluti certam, & Patrum consensu definitam tradere. Et Scaligerum quidem, qui de trigesimo anno expleto opinionem suam uti dogma aliquod tradiderat refutavit Petavius *(k)*. Postea Ignatius Gravesonius *(l)*, ubi Lucæ textum pro-

(a) Lib. 7. *propter quod eum non plenorum 30. annorum venisse ait ad Baptismum: ait enim & ipse Jesus erat incipiens quasi annorum 30.*

(b) De off cap. 6.

(c) Tom. 1. pag. 173. edit. Paris. an. 1647.

(d) *Cum enim jam Christus 30 annorum tempus exegisset in carne, qui ferendum Divinitatem idem ipse est, & anni ejus non deficiunt inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit.* Sermon. 1. in Epiph. pag 803. ex rec. Mabill.

(e) De temp. rat. cap. 45.

(f) Lect. 1. in cap. 2. Joan.

(g) In cap. 3 Luc.

(h) Hos aliosque commemorat Barradius in Luc

(i) Annot. 55 in cap 3. Luc.

(k) Lib. 12. D T. cap. [illegible]

(l) Dissert. 10. de ann. Christ.

propofuit, addit fententiam fuam congruere magis Evangeliftæ verbis, quod non folum dicat *quafi* annorum triginta; *fi enim*, inquit, *hoc tantummodo diceret particula illa quafi, qua utitur aliquam permitteret libertatem addendi unum, aut alterum annum*; fed præterea habeat participium *incipiens*. Deinde in fententiæ fuæ confirmationem Canonem affert Concilii Neocefarienfis ftatuentem (*a*); *ut nullus ordinetur Presbyter ante annos* 30., *etiamfi fuerit homo valde dignus*: *quia D.J.C. in anno* 30. *& baptizatus eft, & cœpit docere*. Denique ait unanimi hoc confenfu tradere Juftinum, Clementem Alexandrinum, Irenæum, Eufebium, Auguftinum, Hieronymum, & Chryfoftomum. Magnum effet hoc quidem Scripturam, Concilia, Patres fententiæ huic favere. Verum ex PP. excepto Irenæo, cujus verba, quam vim habeant fupra vidimus, cæteri nihil opinionem illam juvant. Nam trigefimum annum dumtaxat appellant, & Juftinus numero 30. addi aliquid, aut detrahi poffe difertè affirmat, ut vidimus. Chryfoftomi etiam Homilia illa, quam citat (*b*) ei abjudicatur a viris doctis, nihilque indicat, nifi idem, quod cæteri, & cæteris paulo obfcurius (*c*). Neocefarienfium PP. decretum tantum abeft, ut Gravefonio faveat, ut excufationem aliquam docti viri quærant, ne noceat. Etenim ex Bonifacio ætas ad Presbyteratum requifita erat 30. annorum expletorum; idemque ftatuere videtur Arelatenfe IV., ut Martene (*d*). aliique docent. Quamobrem celebriores antiqui Canonifæ, qui anno 30. ineunte CHRISTUM baptizatum fenferunt tóti in eo funt, ut huic Canoni fatisfaciant. Geminianus ait, *Domini factum non effe trahendum ad confequentiam*. Archidiaconus; *non eft*, inquit, *multum efficax probatio, nec congruit exemplis, quia Sacerdos non poteft effe ante annos* 30. *perfectos*; *fed cum Dominus fuit baptizatus, & cœpit prædicare adhuc non erat* 30. *annus completus, immo vix inceptus*. Quæ de participio illo *incipiens* addidit tam multi refutarunt Petavius, Papebrochius, Natalis, Monelia, Hugo Grotius, oftenderuntque initium prædicationis, non anni trigefimi principium defignare; ut noftra oratione non egeat.

A a Itaque

(*a*) Canon. 11.

(*b*) In ill. *exiit edictum a Cæfare Aug.* A Monfauc. reiicitur in Append. Tom. 2. pag. 399.

(*c*) Ἰησοῦς δὲ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος βασιλεύοντος τριακονταέτης γενόμενος ἀπεκάλυψε τὴν ἑαυτοῦ διδαχὴν ἐπὶ τῆς μαθητείας καὶ ἐπὶ αὐτοῖς τρία ἐκήρυξε.

(*d*) art. 8. Tom. 1. antiqu. Eccl. rit. lib. 1. cap. 8.

Itaque concluditur, ut illo Lucæ textu trigesimus tertius, aut quilibet trigesimo major annus excludatur; utrum trigesimus inceptus, an expletus significetur nequaquam posse constitui. Quare annū Natalem CHRISTI ex hoc charactere definire omnino non possumus. Neque tamen hic tantummodo residet hujusce characteris incertitudo, verum anceps pariter est, a quo extremo termino illi circiter triginta anni sint retro numerandi, & quo vulgaris æræ anno CHRISTUS Jordanis aquis fuerit ablutus. Etenim Authores etiam celebriores non minus, quam in anno Nativitatis, aut Mortis, in baptismatis anno constituendo discrepare inter se: ab anno enim V.Æ. 24., usque ad annum 32., quilibet annus suos habet Auctores (a), qui eum tali insigniunt Mysterio. Et eorum quidem plures absurda prorsus ratione ex eo, quod mortem CHRISTI nimium a vero supra statuto anno removeant, quos ideo dimittimus; ex illis vero, qui anno 29. nobiscum mortem collocant alii 26., alii 27., qui autem ab ea non longe absunt, Blanchinus (b) 25., Monelia (c) 28. baptisma consignant; & Blanchini quidem opinio, cum illius tantummodo prava Consulum digestione nitatur ea impugnata corruit. Monelia vero cum suum sistema quibusdam argumentis confirmare conetur eo paulo moramur, & iisdem discussis experiemur an suum, an quendam alium annum repræsentent. Tres igitur nobis suggerit characteres, quibus id depræhendamus, primus ab anno 15. Tiberii supra relato Lucæ textu expressus, alter ab annis ædificationis Templii, tertius a Pilati gubernatione deducitur: singula percurramus.

De decimoquinto Tiberii anno ad satietatem superiori dissertatione dictum arbitramur, qua demonstrasse saltem hoc confidimus, ne sapientissimos, sanctissimosque Patres, ut cætera omittam, Evangelio aperte contradicere asseramus, a proconsulari ibi statuto Imperio esse eum annum numerandum. Itaque hoc præsupposito in quem V. Æ. iste 15. Tiberii annus incidat omnino non liquet; neque enim constat de præciso anno, quo Tiberio hoc Imperium ab Augusto est attributum, aut de anni tempestate: quare cum vel V.Æ. anno 11.,

vel

(a) Ex variis Autorum opinionibus de anno Mortis Christi superiori Differt. relatis colligi possunt variæ opiniones de anno Baptismatis; absque eo quod hic singulæ recenseantur, quod infinitum esset.
(b) Tom. 2. Anast. loc. sæpè cit.
(c) Dissert. cit.

vel 12. illi summam eam dignitatem collatam ostenderimus sequitur vel in 26., vel 27. decimum quintum incidere, & aliis etiam pertrhai posse, præsertim si ad notas prolepses quis confugiat, quas nos Moneliæ (a) relinquimus; earum enim beneficio 15. Tiberii a morte Cæsaris Augusti, qui certo incidit in 29. V.Æ. annum ad 27. reducit. Neque enim proconsulare admittit Imperium, quod an satius sit amplecti, quam has longe petitas obtrudere interpretationes alii viderint. Nos vero colligimus eo magis constare, nihil certi inferre licere ad baptismum constituendum ex Tiberiani anni adnotatione. Maximam autem induceret incertitudinem, quod Petavius (b) docet; nimirum 15. anni Tiberii CHRISTUM baptizatum ex Lucæ oratione non necessario sequi, quippe anno illo Joannem dumtaxat prodiisse, sermonesque instituisse ad turbas scribit; nescire autem nos quantum intra initium prædicationis Joannis, & baptismum CHRISTI intercesserit temporis, unde postulatum id esse, non probatum anno ipso Tiberii XV. baptizatum esse CHRISTUM. Sunt etiam, qui integrum annum inter duo illa, prædicationis Joannis initium, & CHRISTI baptisma interjectum volunt Natalis (c), Lamy (d), Graveson (e). At his, atque Petavio responderi potest utcumque Evangelii textus de Joannis prædicatione loquatur, illius tamen initio proxime successisse CHRISTI baptismum indicare, quod & Patres tradunt, qui in eundem Tiberii annum conferunt illa duo. Hos supra recensuimus, quibus addi potest Eusebius (f), qui aperte anno Tiberii XV. consignat initium prædicationis CHRISTI, nec aliter alii sentiunt. Quæ contra recensiores aliqui afferunt sunt sane levia, ut bene etiam Monelia (g) probat. Itaque consentiendum doctissimis, atque antiquissimis Patribus censemus, nec multum ab initio Ministerii Joannis, CHRISTI baptisma sejungendum. Illud vero probabile arbitramur circa Octobris exitum, eo quod esset Pœnitentiæ tempus apud Judæos cœpisse prædicare. CHRISTUM vero baptizatum sexto Januarii, ut constans est Patrum. & Ecclesiæ traditio, optime a BENEDICTO XIV. (h), sapientissimeque firmata. At nihilominus de anno respondente 15. Tiberii non constat.

 Videa-

(a) Ibid.
(b) Lib. 12. D. T. cap. 5.
(c) Sec. 1 Diss. 1. Quæst. 2.
(d) Loc. sup. cit.
(e) De Myster. Christ.
(f) Lib. 8. pag. 198.
(g) Cap. 4.
(h) De Festis.

Videamus si fortasse alter character templi ædificationis id nobis indicet, qui ex Joanne *(a)* desumitur, ubi ait, CHRISTO, qui dixit *solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud* (intelligens de templo corporis sui) respondisse Judæos *quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc &c.* Hic suum V.Æ. 27. annum deprehendit Monelia*(b)*. Hoc enim accidisse arbitratur proxime post baptismum anno primo CHRISTI prædicationis: deinde de tertia templi ædificatione, seu instauratione potius ab Herode facta sermonem esse, eamque cœptam anno Juliano 27. circa Pascha. Ab eo autem tempore ad diem illum, quo illa Judæi protulerant 46. annos esse numerandos; quæ ad unum omnia mihi videntur incertissima, & longa probatione indigere antequam assumantur, & aliquid his superstruatur. Ajo itaque rem hanc, quam ad baptismi tempus indagandum exhibent eo ipso multò esse incertiorem. Rei difficultatem non Maldonatus solum, in quem Monelia invehitur, sed & recentior *(c)* Calmet professus est scribens, *hi sex anni, & quadraginta crucem interpretibus figunt*. Ignoratur enim I. de qua templi edificatione sint intelligendi. Non solum Maldonatus *(d)* de prima eos intelligit, sed ipse Origenes *(e)*, atque apud Origenem Heracleon, & Poeta Nonnus. De secunda explicat Chrisostomus, Beda, Eucherius, Theophilactus, Eutimius, quos citat, & sequitur Cornelius Jansenius *(f)*: et Franciscus Toletus *(g)* idem sentiens profitetur nosce se aliter alios scribere, sed hæc, quæ protulit certiora, & veriora existimare. De utraque hac simul sermonem instituisse Hebræos arbitrantur Arias, & Franciscus Lucas *(h)*, præterea Gaspar Sanctius *(i)*. Sed etsi de tertia templi instauratione ab Herode facta sermo sit; non liquet, quod initium hujusce appellaverint Judæi; Josephus *(k)* enim in libris antiquitatum dicit cœptum esse ædificari templum anno Herodis 18., de bello *(l)* vero anno ipsius 15., quam differentiam, ut concilient interpretes*(m)*, ajunt, hic loqui de quorundam porticorum extructione, & præparatione materialium ad totius templi ædificationem. Quid igitur vetat de hoc initio Judæorum verba intelligere, quod

(a) Evang. cap. 2.
(b) Cap. 5.
(c) In cap. 2. Joan.
(d) In cap. 2. Joan.
(e) Vid. apud eund. Maldon.
(f) In cap. 2. Joan.
(g) In cap. 2. Joan. adnot. 24.
(h) In cap. 2. Joan.
(i) In Zachar. cap. 2. num. 12.
(k) Antiqu. lib. 15. cap. 14.
(l) Lib. 1. cap. 16.
(m) In Notis edit. Avercamp.

quod cadit in annum Jul. 14. Præsertim cum de quadam exornatione omnibus illis annis templi addita dictum illud hac in sententia explicari debeat; ne quidem enim ad decem annos vera templi ædificatio perduravit. Quod autem mihi magis inopportunum videtur est, tantum hos Auctores fidere extemporaneæ cuidam populi acclamationi, ut ea velint exactissime illos tempus hoc metitos esse, ac supputasse; a Jul. enim 27. ad V.Æ. 28., seu Jul. 73. sunt 46. anni exacte numerati, ita ut addidisse nihil, nulla hiperboli usos, ut fere populi mos est, dici debeat. At esto; non proinde tamen credo Moneliam repugnaturum si dixerimus modo, apud Judæos, ut ipse tradit *(a)* usitatissimo, annos hinc inde incompletos pro completis Judæos numerasse; hoc autem admisso sequitur optime ea voce Judæos uti potuisse anno V.Æ. 26., *annus enim*, ait Auctor *(b)* 2. dissertationis rationario temporum Petavii annexæ, qui eundem profert argumentum, 18. *Herodis incidit partim in 26., partim in 27. Jul., ac proinde desumpto initio ædificationis templi a 26. anno Jul. ad 71., seu V. Æ. 26., qui primus est præconii* CHRISTI *erunt anni 46. numeratis, ut passim fit in calculis minus accuratis primo, & ultimo anno quasi integris*. Immo, & illud idem sequitur si anno Jul. 27., sed ante Pascha cœptum sit, quod rationes a Monelia subductæ itineris Herodis patiuntur, immo suadere videntur. Unde idem Auctor concludit *anno sequente, seu Æ. V. 27. simile quid potuisse dici, neglectis eo calculo paucis mensibus, at certe non serius*. Quidquid de eo sit patet etiam si res, ut hisce Auctoribus placet, intelligantur nullum determinatū annum ędificationis templi tempus indicare, sed duobus, aut tribus congruere. Quare hunc inutilem characterem aliquando dimittamus.

Est tandem alius, quem suggerit tempus a Pilato in Judææ procuratione exactum. Nam Josephus decennium explevisse in Judæa Pilatum testatur *(c)*, additque jussum proficisci Romam responsurum apud Cæsarem ad crimina per Judæos objecta, priusquam huc venisset Tiberium vita functum audisse.

(a) Cap. 4.
(b) Tom. 2. edit Venet. 1713.
(c) Lib. 18. Antiqu. cap. 5. καὶ Πιλάτος δέκα ἔτεσιν διατρίψας ἐπὶ Ἰουδαίας εἰς Ῥώμην ἠπείγετο τοῦ Οὐιτελλίου πειθόμενος ἐντολαῖς οὐκ ὂν ἀντειπεῖν. πρὶν δὲ ἢ τῇ Ῥώμῃ προσχεῖν αὐτὸν φθάνει Τιβέριος μεταστάς.

disse. Jam vero constat ex Svetonio, & Tacito (*a*) Tiberium diem suum obiisse C. Acerouio Proculo, & C. Pontio Ntigrino Coss. U.C. 790. V.Æ. 37. XVII. Kal. April., vel 16. Maii, ut ex Dione Norisius contendit. Cum ergo Lucas (*b*) initium Joannis prædicationis, sive etiam CHRISTI baptismatis figat procurante Pontio Pilato Judæam, hinc colligi annum CHRISTI baptismi. Et Petavius (*c*), quidem asserit ex illo Josephi textu constare Judeę Pilatum prefuisse primum an. V.Æ. 27., idem Monelia (*d*), & ex Etherodoxis Basnagius (*e*), ideoque post hoc tempus baptismum esse collocandum. Usserius (*f*) tamen & doctissimus Card. Norisius (*g*) censent anno 26. Pilati procurationem cœpisse. Enschenius Pilatum Grato successorem ponit an. 25., in eadem sententia sunt Schelstratus (*h*), Gravesonius (*i*), & Clericus (*k*); quorum omnium si rationes valeant iisdem annis, quibus supra etiam hoc charactere baptismum aptatur. Cæterum sicuti Norisii sententia probabilior, ita illa Petavii, prorsus arbitraria, ut verum fatear, mihi videtur. Si quid enim solidi pro hac affertur illam tantummodo juvat, ut argumentum illud a decem annis a Josepho gubernationi Pilati attributis, & a tempore mortis Tiberii petitum, quod supra retulimus, si meminerimus eos annos exactos dici, ideoque aliquod tempus supra annos completos indicari tres puta, aut quatuor menses, insuper autem aliquos Pilati itineri concedendos, ante quam ad Italiæ oras pervenerit, & Tiberii mortis nuntium exceperit. Quare ab anno 37. mortis Tiberii circa Martium, aut Majum retro decem anni, & 6., aut 7. numerandi sunt menses; unde circa Octobrem V.Æ. 26. deveniemus, quo ejus initium constituamus. Nec aliud quantumvis pressè Josephi textus intelligatur eo suaderi potest. Neque enim asserere debemus cum Monelia (*l*) ipsum circa Pascha in Judæam venisse, & itidem circa Pascha discessisse, illud enim nullo Auctore dicitur, hoc & repugnat. Nam nullum itineri tempus relinquitur, circa Pascha enim obiit Tiberius, deinde Vitelius Syriæ præses Paschate hujus anni 27. Hirosolymis versabatur, cum jam Pilatus discessisset,

(*a*) Histor. lib. 6.
(*b*) In Evang. cap. 3.
(*c*) Lib 11. D. T. cap. 11.
(*d*) Diss. 2. cap 4. num. 6. & cap. 5. n. 25.
(*e*) Exercit 2.
(*f*) In Annal. ad idem annum 26.
(*g*) Diss. 2. in Cenot. cap. 5. n. 12.
(*h*) In Chronol.
(*i*) De Myst Diss. 10.
(*k*) H. E sec. 1. eadem.
(*l*) Diss. cap. 5.

ſet, aliter ipſe eum abire juſſiſſet, non ante Marcellum direxiſſet, ut hujuſmodi mandatum deferret, quod docet Joſephus (a). Neque vero aliquid conficitur ex Grati Pilati deceſſoris gubernatione, qui a Joſepho ſtatim poſt relatam Tiberii ſucceſſionem in demortui Auguſti locum dicitur miſſus Judææ procurator, & undecim annis eam tenuiſſe. Monelia (b), quidem ſuum etiam ex hoc 27. deducit annum, ſtipemque appellat, qui diceret 14. V. Æ. anno Auguſti emortuali Gratum miſſum, eo quod ipſi incredibile videatur quinque menſium ſpatio Tiberium de Judæa cogitaſſe; quæ ratio ſi quemdam perſuaderet; non inde tamen ſequeretur anno 16. tandem legatum Gratum, quod nullo Auctore ſtatuit, mediat enim totus quintus decimus, cujus decurſu una ſaltem vice Judeæ advertiſſe credere par eſt. Si id ſuſpicari licet totum corruit argumentum; a 15. enim 11. numerando in 26. incidimus. Si vero alicui Joſephi textu ſuaderi videretur paulo poſt, quam ſolus Tiberius imperaverit, Gratum miſſum, & de eo fortaſſe dum Auguſtus viveret cogitaſſe, tunc ex Grati gubernatione aliquid potius contra Moneliam exurgeret a 14. enim ad 27., non 11. ſed 13., numerantur anni. Mihi vero nihil inde inferre licere Magis affirmare placet. Illud tamen non omittam cum illa opinio nullo amplius fundamento nitatur; ita ut prorſus arbitraria remaneat, uullum hinc oriri poſſe præjudicium ſententiæ ſuperiori diſſertatione ſtatutæ de anno morti CHRISTI attribuendo, quod Monelia intentavit, nec aliquod hujuſmodi argnmentis, quæ tamen apud ipſum ſunt præcipua præſtari illius opinioni de anno 30. præſidium. Videndum ſupereſt an illi, qui Pilati in Judæa adventum anno 25. conſtituunt ſe tueri poſſint, & an Joſepho licet in ſpecie, minime tamen revera repugnent? Ita quidem nos arbitramur, ducimurque præcipue ex eo, quod exactos decem eos annos dicat Joſephus, quod de ſpatio decem annorum cum decem, aut undecim menſibus affirmari commode poteſt: quare ſi iſti ab Octobri anni 25., quo cum in Judæa veniſſe cenſent illi Auctores, numerentur deveniemus in annum 36. circa Septembrem, quo optime dici poteſt Procurationem Pilatum expleviſſe, quamvis in Italiam non pervenerit niſi poſt Tiberii mortem; nimirum quia totum id tempus ſe itine-

(a) Antiqu. lib. 18.  (b) Ubi ſupra.

itineri parando, quafdam moras nectendo, & hyberna, procellofaque tempeftate longum, & difficile iter peragendo infumpferit: quod fpatium ad integrum annum protendere quidam Auctores non dubitant, & Gravefonius (a) negat mirum hoc cuiquam videri debere, *potuit enim* inquit *Pilatus male fibi confcius moras confulto nectere, degens in aliqua Vrbe Syriæ, in eam fpem erectus; fore ut cunctando res fuas accifas in melius promoveret, vel forte adverfis ventis impeditus eft, ne navigationem fufciperet, fuamque maturaret profectionem.* Omitto alias explicatioues ab aliis allatas veluti pro δέκα legendum δώδεκα, ut vult Clericus (b), & rotundum numerum, quandoque poffe, vel ampliari, vel minui. Satis enim ex dictis patere arbitror eis, qui in annum 25. coniiciunt initium procurationis Pilati Jofephum non repugnare, nec ullo alio argumento contrarium revinci. Effet quidem Eufebii (c) auctoritas, qua ait anno Tiberii XII., qui incipit V.Æ. 26. Pilatum accepiffe Judææ procurationem, fed cum Jofephum alleget, non aliud quam quod ille habet fignificare reponi poffet. Nos tamen, & huic Eufebii textui fidem deferentes, & quia planius res explicat Ufferii, & Norifii de anno 26. diximus probabiliorem effe fententiam; neque propterea illam 25. improbabilem pronunciamus. Quare nec a gubernationis Pilati tempore ad annum baptifmi conftituendum aliquid certi colligere poffumus. Sed eos ipfos duos 26., & 27. exhibet. Nam Joannes eodem anno, quo Pilatus procurationem, fuum Minifterium cœpiffe dici poteft, fequenti vero anno CHRISTUM baptizaffe. Quamobrem fequitur tandem hunc characterem effe prorfus incertum, vel de anno ætatis, vel de alicujus æræ anno, quo baptizatus fit intelligatur. Duos vero præcipue annos fignificare; unde ex eo verum CHRISTI natalem annum conftituere non poffumus, fed eos duos, fuperioribus conftitutos hic etiam character indigitat. At inquiet aliquis, vos qui jam mortis annum ftatuiftis, omittitis modo rationem ad CHRISTI baptifmatis annum deprehendendum præcipuam, annos fcilicet Minifterii CHRISTI? Omitti quidem tuto poffet cum hæc cæteris fit æque incerta,

& mi-

(a) Ubi fupra.
(b) Ubi fupra.
(c) Lib. 1. H. E. cap. 9. ὁ δ' αὐτὸς ἐν ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς ἀρχαιολογίας κατὰ τὸ δωδέκατον ἔτος τῆς Τιβερίου βασιλείας.

& minime gentium conftet tres, an quatuor annos CHRISTUS prædicaverit, unde ad eandem annorum illorum 26., & 27. ambiguitatem redimus, hujus vero rei probationem, cum hic character jam fit longe productus in fequentem diftulimus.

## §. VIII.
## *De annorum numero, quos* CHRISTUS *vixit.*

QUI annos CHRISTI Nativitatis, & Mortis inveftigantes ea ufi funt methodo, ut qui fuit fucceffu pofterior, eum annum priorem in difputatione fua facerent, & mortis tempus prius, deinde ortus quærerent: hi alium habent natalis anni characterem petitum ex annorum numero, quos CHRISTUS vixit. Etenim eo conftituto, fi annos totidem ab emortuali CHRISTI numeres, quot eum vixiffe cenfes facile ad annum pervenies, quo eft illius Nativitas collocanda. Hunc annorum numerum conftituunt aliqui adhibito rurfus anno trigefimo, qui a Luca perhibetur, quando CHRISTUS eft baptizatus; deinde vero Pafchata computantes, quæ poft baptifmum peregit. Verũ duplici incertitudine hæc inveftigandi ratio laborat, prima quod non liqueat annone trigefimo expleto, an vero inchoato fuerit baptizatus: altera, quod neque conftet, utrum tria, an quatuor peregerit Pafchata poft baptifmum. Omitto enim reliquas fententias, quæ plura, vel pauciora ftatuunt, quod propè obfoletæ fint, ac quafi depofitæ, exque doctiffimorum virorum difputationibus refutatæ. Tria Pafchata egiffe CHRISTUM, five biennium folidum cum excurrentibus aliquot menfibus in prædicationem impendiffe plerique veterum, Petavio tefte, *(a)* fenferunt. Et ille quidem Ireneum nominat *(b)*, Apollinarem Laodicenum *(c)*, Origenem *(d)*, Epiphanium *(e)*. Addit Ricciolius Cyrillum Alexandrinum, & Philaftrium; Cyrillus quidem *(f)* biennium integrum prædicando duraffe CHRISTUM affirmat; Phila-

 ftrius

*(a)* Lib. 11. D. T. cap. 18.
*(b)* Lib. 2. cap. 38.
*(c)* Ap. Hieronym. in cap. 9. Daniel.
*(d)* Lib. 2. contra Celfum.
*(e)* Hæref. 51.
*(f)* In cap. 29. Ifaj. tom. 2. Oper. edit. Parif. 1638. pag. 408.

ftrius vero (*a*) contrarium omnino docet; atque in eorum est sententia aliquorum veterum Patrum, qui anno uno definiunt CHRISTI prædicationem, de qua sententia alibi diximus. Tria vero Paschata ex recentioribus tuentur Deckerius, Keplerus, Bucherius, Petavius. Contra de 4. Paschatis opinio suos, & ipsa defensores numerat; & in recentioribus quidem plurimos. Itaque idem Petavius; *bodie* inquit (*b*) *Scaligeraniorum excepto grege vix aliquem invenias, qui non 4. Paschata* τῇ κηρύξει *præfiniat*, & Baronius (*c*), *res est in confesso apud omnes recentiores, qui exactiori diligentia Paschata ab Evangelistis recensita numerarunt post baptismum* CHRISTI 4. *per annos singulos esse Paschata revoluta*. Ex veteribus Eusebius tum in Historia (*d*); tum in Evangelica demonstratione (*e*) CHRISTI prædicationi τρία καὶ ἥμισυ ἔτη, sive tres cum dimidio annos diserte tribuit. Eusebio Schelstratus adjungit Tertullianum asserentem; CHRISTUM *Dominum anno 12. Tiberii revelatum, anno autem 15. ejusdem Tiberii Cruci affixum fuisse*: item Auctorem homiliæ super *exiit edictum*; & Ignatium in epistola ad Trallianos; quem locum, licet interpolatum plerique asseverent, defendere ipse conatur auctoritate veteris Vaticani Codicis; & Chronici Alexandrini. Chronicon quidem Alexandrinum non solum quatuor Paschata a CHRISTO peracta significat; sed ea ex Evangelio elicit, aitque designari a Joanne quartum illis verbis (*f*); *erat dies festus Judæorum*: nam reliqua tria Joannes expressius indicat. Pascha quidem ibi designari ex antiquis Patribus arbitratus est Irenæus (*g*), licet cæteroquin tria tantum Paschata asseruerit; quem a Grabrio repræhensum tuetur Massuetius (*h*). Præterea Theodoretus (*i*), & Hieronymus. Ex recentioribus Cornelius Jansenius, Cornelius a Lapide, Franciscus Toletus, Franciscus Lucas, Emanuel Sà, Joannes de la Haye, Calinus, Calmet &c. Atque hic ultimus Grotium, Ligfootium, aliosque Etherodoxos ejusdem sententiæ profert. Contra hanc opinionem Petavius pugnat in libris de Doctrina temporum (*k*), & in animad-

(*a*) Cap. 106. de hæres. pag 98. edit. Brixiens. 1738 *Dominus enimque in uno anno passus, & docuit hæc sola præcepta conscripta*.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Ad an 34. num. 146.
(*d*) Lib. 1. cap. 9.
(*e*) Lib. 8.
(*f*) Cap 5.
(*g*) Lib. 2. cap 22. al. 39.
(*h*) In Irenæi illum loc.
(*i*) In cap. 9. Daniel.
(*k*) Loc. cit.

madverfionibus ad Epiphanium *(a)*; fed nihil aliud conficit, nifi rem hanc nequaquam certam, atque exploratam effe; quod lubentes nos, atque ultro concedimus; idque pro fententia ipfa de 4. Pafchatis valere arbitramur. Sed idem dicimus effe de fua, incertumque, an tria tantum CHRISTUS egerit. Nam quod Monelia *(b)* fcribit opinionem de tribus Pafchatis invictis rationum momentis ex Chronologia petitis ftabiliri nimium hominis pro fententia fua tuenda ftudium prodit; fatifque refelli ex Grotio poteft, qui illas *conjecturas mire incertas* vocat. Et invicta quidem Monelia rationum momenta duo profert ex Lamy. I. quod ab uno Pafchate ad aliud longe plures res geftas Evangelifta complecteretur. Lamy tamen folutionem argumento ipfe affert dum fatetur, quæ longo temporum intervallo disjuncta funt conjungi interdum ab Evangeliftis: præterea omnia ne arbitremur a CHRISTO gefta perfcripfiffe Joannem. At ipfe fatetur; *funt & alia multa, quæ fecit Jefus; quæ fi fcribantur per fingula, nec ipfum arbitror mundum capere poffe eos, qui fcribendi funt libros (c)*, quod Auguftinus explicans *(d)* *hic utique*, ait, *oftendit fe fciente multa prætermififfe*. Alterum argumentum ipfe affert, ut evertat rationem, quæ vulgo afferri confuevit ad probandum *diem feftum* a Joanne memoratum Pafcha fuiffe; petiturque ex verbis illis *(e)*; *adhuc quatuor menfes funt, & meffis venit*, quæ grecè leguntur ἔτι τετράμηνον ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; vultque vim græcæ voci τετράμηνον fubjectam indicare definitam quamdam tempeftatem colligendę meffis; adeoque nequaquam fignificari quatuor menfes fupereffe ad meffem. Nullo tamen id Auctore pronuntiat; & Græcarum vocum periti æftimatores Henricus Stephanus *(f)*, Erafmus *(g)*, Georgius Pafor *(h)* fpatium quodcumque 4. menfium hoc nomine defignari ajunt. Cardinalis Toletus, & Grotius Hæbraifmum effe fcribunt, atque id dici; *poft quatuor menfes inftat meffis*, fimilemque haberi phrafim Genefeos IV., & Jonæ III., fed de hoc Calmet fufe, Cornelius, aliique interpretes. Nobis enim fatis eft, quod demonftratum hactenus cenfemus, viam hanc indagandæ CHRISTI ætatis, & baptifmi annum determinandi,

Bb 2 ut

(a) Pag. 203.
(b) Cap. 5. num. 17.
(c) Joan. 21.
(d) Lib. 17. contra Fauft. cap. 3.
(e) Joan. 4.
(f) In Thef. Gr.
(g) In hunc loc. cit.
(h) In Lex. nov. Teftam.

ut extremo superiore paragrapho diximus, prorsus dubiam esse, & maxime incertam.

Reliqua est alia ab aliis tentata; Patrum auctoritas, & vetus traditio. Honoratus a S. Maria *(a)* contendit extare traditionem antiquissimam de eo, quod sit CHRISTUS mortuus cum annum ageret ætatis circiter trigesimum. Verum in homine cæteroquin erudito hic etiam, ut supra, vel fides, vel diligentia merito desideratur. Nam primò cum vidisset paucos proferre posse ex Patribus, qui id diserte affirmaret, usus est malitia quadam: non id solitarie proposuit, sed duobus aliis conjunxit, de quibus ingens extat textium numerus: nimirum, obiisse CHRISTUM anno Tiberii XV., & duobus Geminis Coss. Itaque initio continuo tres has res simul involvit, atque affirmat *(b)*: CHRISTUM excessisse e vita anno XV. Tiberii duobus Geminis Coss., annosque natum circiter 30. rem esse quamplurimis Ecclesiæ PP. testatam, concluditque eadem ferme ratione *(c)*, prolaturum longius, quam par sit hoc argumentum si describere omnia ea loca aggrederetur, quæ hujus traditionis veluti nexum componunt: JESUM CHRISTUM vita functum anno ætatis 30., anno XV. Tiberii, & 29. æræ communis. At quam multi sunt, qui Geminorum, quidem Consulatum, vel annum Tiberii illum proferunt, de ætate omnino tacent? Ex iis, quos Honoratus affert, hoc faciunt Sanctus Hyppolitus, Cathalogus Liberianus, Victorius Aquitanus, Lactantius, Index Consulum apud Cuspinianum, Fasti Consulares apud Labbæum, Martyrologia, Cedrenus &c. Itaque ab eorum numero, qui pro ea traditione citantur omnes hi expungendi. Deinde Honoratus extare ait traditionem; CHRISTUM mortuum anno ætatis circiter trigesimo, quod ipse ita interpretatur, quasi anno ætatis 31. incepto mortuum dicant. At nonnulli eorum trigesimum decurrentem in productis ab ipso Honorato textibus aperte significant, ut Augustinus; *a Nativitate Domini hodie computantur anni ferme 420., a Resurrectione autem, vel Ascensione ejusdem anni 390.* Ter-

(a) Lib. 5. Differt. 2. art. 3.

(b) *Que Jesus-Christ soit mort la 15. année de l'Empire de Tibere, sous le Consulat des deux Gemines, étant pour lors âgé d'environ trentes ans; c'est un fait attesté par un tres grand nombre des plus Anciens Peres de l'Eglise &c.*

(c) *Je porterois trop loin cette matiere, si j'entreprenois de rapporter les passages de tous ceux, qui ont continué la chaine de cette Tradition, qui l'ont soutenuë, & qui ont été persuadez, que le Sauveur étoit mort à l'âge de 30. ans, la 15. année de l'Empire de Tibere, & la 29. de l'Ere Chrêtienne.*

Tertio, ita plerique eorum annum trigesimum exprimunt, ut apponant particulas quasdam, quæ additionem duorum præterea annorum facile patiantur, atque appareat, quod sæpe apud veteres invenitur rotundum, ut vocant, numerum pro alio proxime majore posuisse. Chrysologi quidem textus apud eumdem Honoratum ita habet; CHRISTUS *Crucem supra* 30. *annorum vitæ corporalis ascendit*, nonne idem dictum fuisset optime si anno 33. mortuum putasset? Anonymus apud eumdem Honoratum; *post trigesimum cum passus est* CHRISTUS: hymnus ille; *Lustra sex, qui jam peregit*. Quidquod Tertullianus cum (*a*) scripsisset; *passus est* CHRISTUS *annos habens quasi triginta*; Hieronymus (*b*) locum illum allegans reposuit; *annos habens quasi* 33. *cum pateretur*: ita novæ, & veteres editiones. Quamobrem Hieronymi judicio ita eo loco annum trigesimũ expressit Tertullianus, ut proximum rotundo huic 30. aliquem significaret; si hoc de reliquis etiam arbitramur, quis nos reprehendat? Quarto aliqui, quos indefinite pro triplici assertione illa sua Honoratus citat, hoc de annis 30. non solum non asserunt, sed contrarium omnino tuentur, ut Sulpicius Severus, & Bernardus (*c*), qui ait; *triginta, & tribus annis super terra visus, cum hominibus conversatus &c.* Aliorum incerta loca sunt, atque etiam in reliquis capitibus variam lectionem habent; ut Orosius, cujus nonnulli codices præseferunt annum Tiberii XV., alii XVII.; Prosper ex recensione Labbæi CHRISTUM mortuum affirmat an. XVIII. Tiberii, apud Bucherium anno XV. Itaque illudere credo nobis voluisse Honoratum, cum asseruit ex productis 37., vel 38. Ecclesiasticis Scriptoribus 24., aut 25. inveniri, qui *positive* dicant CHRISTUM 30. annos cum haberet esse mortuum (*d*). Nulli enim ferme illi sunt reliqui preter Origenem, Philastrium, Clementẽ Alexandrinum, & fortasse Africanum. At hi unde sententiam hanc hauserint certo constat; nimirum ex errore illo, quo annum unum durasse CHRISTI prædicationem arbitrati sunt, juxta illud Isaiæ, *ut prædicarem annum placabilem Domino*, quod allegant, & ex eo quod in Luca legerent, quasi ann. 33. fuisse cum ad baptismum venerat. Utraq; igitur opinio de anno uno prædica-

(*a*) Cap. 18. adv. Judæ.
(*b*) In cap. 9. Daniel.
(*c*) Serm. in Feria IV. Hebd. S. pag. 896. edit. Paris. an. 1719. ex recens. Mabillonii.
(*d*) *On peut voir par ce detaille, que de ces* 37. *ou* 38. *Ecrivains Ecclesiastiques; il y en a* 24., *ou* 25., *qui disent positivement, que Jesus est mort agé de* 30. *ans*. loc. cit.

dicationis CHRISTI, & anno ejus ætatis trigesimo nexu veluti quodam inter se continetur; & quoniam nemo nunc, utpote Evangelio repugnantem primam defendere audet; ita, & altera, eadem de caussa longe est a nostris opinionibus amandanda. Itaque miror repertos esse nonnullos viros doctos, qui alteram hanc tuerentur; nec tuerentur solum, sed Patrum auctoritatem pro ea allegarent, atque antiquam existere traditionem desfendere conarentur. Ergo illi numero exigui, quos ex falsa opinione hoc in animum induxisse liquet, Ecclesiasticam traditionem constituere dicendi sunt? At multi illis præterea contradicunt. Nam plus, quam 31. annos CHRISTUM vixisse affirmarunt Sulpitius Severus *(a)*, Isidorus Hispalensis *(b)*, Jornandes *(c)*, antiquæ Tabulæ apud Bucherium; amplius 32. Apollinaris Laodicænus *(d)*, Epiphanius *(e)*, Cassiodorus *(f)*; in quorum numerum conferendus est etiam Eusebius *(g)*, etsi aliqui de eo dubitant utrum 32., an vero 33. inchoato putaverit CHRISTUM mortuum. Ex hac Patrum enumeratione, qui in varias abeunt sententias, puto constare, quid non modo de jactata ab Honorato sua traditione sentiendum sit, sed & de opinione eorum, qui traditionem extare de anno 33., & excurrentibus præterea mensibus crediderunt. Horum princeps est Beda loco supra allegato *(h)*. Sed qui idem, quod Beda afferat ex vetustioribus invenies neminem; qui enim afferuntur, vel nihil ad rem faciunt, vel Apochriphi sunt; Hos inter omnino recensendus videtur Ignatii locus supra allegatus, quidquid Schelstratus dicat; hoc vero certum est penes eruditos de sermone illo de S. Jo: Baptista Chrysostomo falso attributo, qui in hujus sententiæ confirmationem adducitur: nemini autem dubium est, idem de Evodii epistola esse sentiendum, quam Nicæphorus recitat. Riciollius *(i)* locū quendā Hieronymi citat, qui tamen nihil omnino huc facit; ut legenti constabit *(k)*. Addit vero, & Urbanum Papam in Bulla, qua

(a) Lib.2. Histor.
(b) In Chronic.
(c) In lib. de Reg. succ. cap.66.
(d) Apud Hieron. in cap.9. Daniel.
(e) Hæres.51. (f) In Chron.
(g) In Chron., dubium oritur ex annis Tiberii, eam aliqui codices habent 18., alii 19., ut vidimus.

*(h) Habet enim ni fallor Ecclesiæ fides D. in carne paulo, plus quam 33. annis, usque ad sua tempora passionis vixisse; quia scilicet 30. annorum fuerit Baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptisma prædicaverit.*
(i) Lib.1. Chron. Ruf. cap.7.
(k) Hier.

qua singulis 33. annis Jubilæum celebrari statuit *(a)*; qua tamen nihil aliud habet, quam 33. annos, quod de inceptis æque, ac de expletis sumi potest. Illud itaque superest monumentum, quod Hervvartus *(b)* produxit, aliique passim adhibuerunt Græcum scilicet Codicem Bibliotheçe S. Marci Florentiæ Honorii tempore, ut ajunt, exaratum, quo dicitur Apostolos tradidisse CHRISTUM 33. annos expletos vixisse. Puto tamen inventum iri neminem, qui Anonymo huic acquiescere velit omnia illa, quç ibi profert ex Apostolorum traditione descendere: tradidisse enim Apostolos ait; CHRISTUM *ex Virgine natum Bethlemæ 25. Decembris hora diei 6., baptizatum anno ætatis 30. die 11. Januarii hora noctis 10., mansisse in hac vita annos 33. menses 3., affixum esse cruci die Mart. 29. hora diei 6., resurrexisse e sepulchro die tertia, quæ fuerit prima mensis Aprilis secundum computationem Egyptiorum hora noctis 6., sublatum in cælum 3. Maii horæ diei 9.* Illane ex Apostolorum doctrina omnia? Etiam die Martii 29. mortuum, resurrexisse 1. Aprilis, cælum ascendisse 3. Maii; cum ex Luca constet 40. dies inter Resurrectionem, atque Ascensionem interfuisse; qui quidem reperiri non possunt a 1. Aprilis ad 3. Maii? Itaque optime Paulus Forosempronienfis probante Petavio scripsit; neminem a se repertum, qui illam tradiderit Bedæ opinionem: & Honoratus, qui in traditione sua defendenda multa peccaverat egregius est in Bedæ hac convellenda, probans *(c)* ignotam omnino fuisse 6., aut 7. primis Ecclesiæ sæculis. Reliqua est igitur Bedæ auctoritas, & eorum, qui ipsum secuti sunt vulgarium Computistarum; itemque Græcorum, sequioris ævi S. Maximi, Chronici Alexandrini, & Nicetæ, quæ quidem cum de rebus, quç antiquissimis tẽporibus acciderunt, agitur quanta sit alii viderint. Nos sane numquam Capello *(d)* concedemus; id Græcæ Ecclesiæ traditionem secutos Græcos hos affirmasse; non video enim, qualem Græca Ecclesia traditionem habere potuerit ab illa diversam, quam illi antiquissimi PP. reliquere, quos nihil tale sensisse vidimus. His addi possunt Chronicorum auctores, qui annorum recentione hos triginta tres completos annos significant. Sed illos alter alterum descripsisse con-

*(a) Nos considerantes, quod numero hujusmodi 33., qui fuerunt tempus vitæ nostri Salvatoris, quibus conversatus in mundo miro clausit ordine sui moras incolatus, plurima etiam alia, & grandia divinarum Scripturarum Mysteria adaptari possunt &c.*

*(b)* Cap. 176 Nov. Chron.

*(c)* Lib. 5. Diss. 1. § 2. *(d)* De ult. Con.

constat, & a Beda, & Computistis ausisse, quç cum ita sint quid de Bedæ auctoritate sentiendum sit videamus. Quam Monelia tanti fecit, ut continuo eam in præfatione sua ponere voluerit, scribens; *qui penitiores hasce literas consectantur, cæterisque palmam in sacra Chronologia præripiunt egisse nobiscum J. C. Dei filium censent annos 33., ac menses aliquot: & sane merito, quando jamdiu id veluti a majoribus traditum testatur Beda; habet ni fallor &c.* Henschenius quoque (a) de modo agens, quo sententiæ de morte CHRISTI duobus Geminis Coss. reliqua ejus vita aptanda sit; hunc maxime adhibet Bedæ locum: idemque alii præstitere. Sed præ cæteris Baronius (b) hæc tradit; *ejus sententiæ ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam assertricem, & observatricem; quod fuisse cæteris omnibus præstare debet Auctoribus*. Verum acerrimi judicii virum Baronium libenter interrogarem, qui fieri unquam potuerit. ut tam vetus, tamque testata Rom. Ecclesiæ traditio prætererit doctissimos Auctores, atque antiquissimos Patres; qui non solum ejus non meminerunt, sed in hujusmodi re duce veluti destituti in contraria abjerunt, & vel sententiam illam de 30.an. tradiderunt vel alterutrum ex duobus insequentibus annis, & plures incertũ numerum, & 30. proximum indicare fuerunt contenti? Deinde, quo pacto Beda ipse ab ea descivit, descivere Computistæ alii? Sed hæc luculenter sunt a Petavio tractata; & in Epiphanianis animadvertionibus, & de Temporum Doctrina: ubi (c) Bedæ hanc aliorumque Computistarum auctoritatem inculcantibus inter cætera reponit: *si illorum ipsorum, quorum se auctoritate munitos putant sensum ac mentem intellexissent, numquam hisce testibus uterentur. Etenim sic an. 33., mensesque 3. in carne vixisse* CHRISTUM *Beda, cæterique prædicant, ut post nativitatem duos tantum, & 30. solidos explevisse censeant, & illum, quo in utero Virginis fuit annum in summam conferant*. Ideoque subdit Pagius *sibi* Beda *contradicit, dum, qui primus est annorum iterum* (scilicet 33.) *in eo Incarnatum affirmat esse* CHRISTUM, *a quo si ad Passionem; idest 25. Martii, quo* CHRISTUM *passum credidit annos 34. numeres, haud plus annis 33. interest; falso igitur tribus pręterea mensibus in carne vixisse* CHRISTUM. Quod si detractis novem mensibus, quibus in Virginis utero mansit, ut modo sit, a Nativitate eos annos numeres, duos

(a) Num.148. (b) Exercit.1. (c) Lib.12. D.T.cap.10.

duos tantum, & triginta, tribusque mensibus supersunt. Etenim pergit Pagius *vehementer illi errant, qui annum primum æræ communis a Kal. Jan. proxime post Natale* CHRISTI *a Beda, & Computistis paulo antiquioribus auspicari putant ...* CHRISTUM *enim Incarnatum, atque in lucem editum esse putarunt anno Juliano 43., annoque primo æræ Christianæ cyclo Lunæ 2. Cum de ætate* CHRISTI, *ac passione loquuntur indicant anno illo, qui æram vulgarem antecedit natum se eundem arbitrari.* In quo contradictio est manifesta; propterea concludit, *decretum itaque quod pro Ecclesiastico Beda venditavit, quodque firmissimum Chronologiæ suæ monimentum annalium scriptores appellant tanquam commentum reiiciendum*, usque modo Pagius: Bedam itaque hujusmodi, quæ jactatur traditionis minime idoneum testem produci, nec de ea cæteros ullam fidem facere ex his quæ supra notavimus constat. Hanc tamen opinionem aliis improbabiliorem, aut rejiciendam in tanta Patrum discrepantia pronunciare non possumus: quod autem traditionem pro illa allegari nequeat, hoc certum assero. Quamobrem illi firmissimo veluti fundamento superstruendam non esse epocham annorum CHRISTI Mortis, & Nativitatis. Si quis autem quid ego conjectando sentiam de hac opinione expostulet: dicam paulo ante Bedæ ætatem receptam, sive, quod ab Oriente adducta fuerit una cum Græcorum Computistarum scriptis, ibique, vel ex jam interpolatis Ignatii literis, vel ex aliquo alio simili monumento profluxerit; sive quod Latini ipsi Computistæ contrarios inter se Patres cernentes ratiocinando, rationesque subducendo eam collegerint, scriptisque consignaverint; quam cum nullam præseferre absurditatem, immo Evangelicis dictis consonare, in eaque omnia commode explicari viderint, avvide eam arripuerunt Scriptores illius, & sequioris ævi. Cæterum non majorem habere auctoritatem, quam quæ illi hac congruentia conciliatur, parum vero esse Beda antiquiorem. At quosdam audio inclamantes Bedam Ecclesiæ fidem appellare, Romanosque indiculos publice in Ecclesia propositos, ubi ait, *siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet, ubi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populi revocans numerum annorum triginta semper, & tribus annis minorem, quam ab ejus*

*Incarnatione Dionysius posuit annotat.* Esto, non inde tamen moveor ad hanc opinionem vetustiorem agnoscendam. Novum non est venire quædam in Ecclesiasticas tabulas recentiori manu, quæ a veteri traditione plurimum, atque a veritate longius absint; cujus rei si postularetur exemplum aliquod, possemus illud adducere in medium, quod nunc in Romano Martyrologio ad diem 25. Decembris legitur de ipso tempore Dominicæ Nativitatis: *anno a creatione Mundi, quando in principio Deus creavit Cœlum, & Terram* 5199.; *a Diluvio vero an.* 2957.; *a Nativitate Abrahæ an.* 2015.; *a Moyse, & egressu Populi Israel de Ægypto an.*1510.; *ab unctione David in Regem an.*1032.; *hebdomada* 65. *juxta Danielis prophetiam*; *Olympiade* 194.; *ab Urbe Roma condita an.*752.; *anno Imperii Octaviani Augusti* 42. . . *J.C.Bethlehem Judæ nascitur &c.* Jam vero, quis est paulo eruditior, qui hæc traditionis loco habeat, aut hanc esse sententiam existimet, quam tenendam omnibus Romana Ecclesia proponat; ac non illud potius cum Francisco de Aste in hunc locum (a); *ad hujusmodi controversiarum disceptationes judicium suum non interponere, nec ad eas minutias, & mutationes gravitatem, majestatemque suam demittere.* Et vix ullos sane ex recentioribus probatissimis Chronologis reperias, qui illud tradant: et certum omnino est in Ecclesiasticas tabulas solum a 246. annis fuisse illatū. Nam,ut bene Sollerius tradit, primus Ado Chronolog. notis distinguere volens natale CHRISTI tempus, quod in antiquioribus Martyrologiis nude efferebatur: *Nativitas Domini secundum carnē*, ut in vetustissimo Romano,quod *parvum Romanum* dicunt; vel *Nativitas D. N. J. C.*; ut in Martyrologio Bedæ; vel *In Bethlehem Nativitas Salvatoris D. N. J. C. secundum carnem*, ut in apographis Hieronymianis legitur; annum addidit Augusti, Olympiadum, & Urbis conditæ. Usuardus solas duas primas Epochas usurpavit: aliæ temporum dimensiones ex calculo lxx. Interpretum nunc adjectæ in nullo codice repertæ sunt, atque in nullo Martyrologio, quod antiquius sit editione Belini facta Venetiis anno 1498. Quod ergo hic in Romano Martyrologio factum videmus, idem in cereis illis Romanis, quos Beda commemorat evenisse puto, ut paulo ante ejus ætatem extiterit, qui ibi epochas illas primum adscriberet; quæ

(a) In Discept. ad Martyrol. Rom.

quæ a peregrinis Monachis, ut monumenta antiquissima receptæ sunt, & Bedæ commendatæ, quasi & Romanæ Ecclesiæ sententiam continerent. Addi potest, nec esse adeo vetustam ipsam cereorum institutionem, in quibus epochæ illæ consignatæ dicuntur. Ea ante sæculum V. non fuit; & quamquam Valesius (*a*) cereas illas columnas, quas Eusebius commemorat arbitretur Paschalem cereum indicare. Nam Zosimo Papæ hoc adscribunt Amalarius (*b*), Alcuinus, Pontificale Apamiense, Ordinarium Rotomagense, Missale Tolosanum, & recentiores Auctores, præsertim Altaserra, aliique, qui Anastasium illustrarunt. Martene (*c*) testatur in veteri codice Ecclesiæ Noviomensis ante annos 900. scripto, in Regio ejusdem ætatis, in Missali Gallicano, quod ex codice Bobiensi, ab annis circiter 1000. exarato Mabillonius (*d*) edidit, & in alio Missali Gallicano, quod ex vetustissimis MSS. Vaticanis ejusdem ætatis publici juris fecit Cardinalis Thomasius legi; *benedictio ceræ B. Augustini Episcopi, quam adhuc Diaconus cum esset edidit, & cecinit feliciter*; *Exultet jam Angelica Turba Cælorum &c.* Eos vero, qui ex Prudentii hymno *ad incensum cerei Paschalis* antiquiorē colligere se posse putant refellit Sirmondus (*e*), Menardus (*f*), Nicolaus Heinsius (*g*), & Mabillonius (*h*), qui observarunt in MSS. codicibus inscribi hymnum *ad incensū lucernæ*; voluntque illum ad accendendas in lucernario, seu vesperis quotidianis lucernas fuisse compositum. Jam vero hos, de quibus Beda loquitur Paschales cereos esse, qui in precedenti Paschate consuetis ceremoniis sacrati, iterum in die Natali Domini exponebantur, ut Florentinius docet, constat ex subsequentium sæculorum moribus, in quibus idem fieri consuevisse videmus. Du-Cangius (*i*) ex regestis cameræ rationum Parisiensis titulos hosce cereis Paschalibus inscriptos proposuit, alios ex tabulariis Ecclesiæ Rotomagensis Martene (*k*). In libro consuetudinum Cluniacensis Monasterii auctore S. Udalrico (*l*) legitur; *ipsi vero cereo præceptor inscribit, quot annus sit Dominicæ Incarnationis, quota indictio concurrens, & epactæ*; In Ordinario Savigni Diœcesis Lugdunensis:

 *Ma-*

(*a*) Ad lib. VI Euseb. V. C. cap. 22.
(*b*) Lib. 1. de Div. Offic. cap. 18.
(*c*) De Div. Offic. cap 24.
(*d*) Tom. 1. Mus. Ital.
(*e*) In not. ad Ennod.
(*f*) In observ. ad Concord. regul c. 24. § 2.
(*g*) In novo Pruden. edit.
(*h*) Lib 2. de liturg. Gallic.
(*i*) In Gloss.
(*k*) De antiqu. disc. in offic. cap. 24.
(*l*) Tom 4. Spicil. Acheriani pag. 60.

*Magister scholæ inscribit cereo annos ab Incarnatione præmissa superius Cruce*. Sed quorsum ista tam longe producta de anno in cereis adscripto disputatio? An traditio illa, quam Beda narrat certo inde colligitur? Non opinor; subdit enim, *denique anno ab ejus Incarnatione juxta Dionysium* 701. *indictione* 14. *fratres nostri, qui tunc fuere Romæ hoc modo se in Natale Domini in cereis S. Mariæ scriptũ vidisse, & inde descripsisse referebant a passione Domini nostri* JESU CHRISTI *anni sunt* 668.; nam etsi Baronius in Bedæ loco legat annum, qui in cereis numerabatur a Passione Domini 668. fuisse Dionysianum 702., tamen Basileensis editio anni 1563., aliæque probatissimę habent 701., atque ita Petavius legit, legitque in MSS. suis Forosempronieusis (*a*). Quamobrem non video quomodo inde traditionem colligere Beda potuit de anno 33., & tribus insuper mensibus. Nam si ab Incarnatione, ut asserit, deducantur, 33. tantummodo erunt, si iis novem ab Incarnatione ad Nativitatem decurrentes menses detrahantur, 32. tantum, tresque menses exurgunt. Quid quod ex characteribus illi anno adjunctis Petavius colligit fuisse ann. 700.: tunc neque si ab anno vulgarem æram antecedente, quo nunc utimur modo numerentur, annorum 32., mensiumque aliquot summam excedunt. Quare satis superque Bedæ auctoritati responsum credimus, quod quidem plerique optime jam pręstiterunt, sed ea opus fuit retexere, & aliquid de hujusmodi cereis addere propter eos, qui illam afferre non desinunt. Et ita fortasse illa nostra conjectura, cui hæc opponebant confirmata manebit, stabitque nostrum de hac sententia judicium. Verum ex hactenus dictis, & illud puto constare ætatem CHRISTI PP. auctoritate nos definire non posse. Quare ad congruentiam cum Evangelicis narrationibus, & certioribus Mortis, & Nativitatis Characteribus confugiendum esse. Minus autem Evangelio consonare, hisque cum characteribus pugnare patet (*b*) cæteras opiniones omnes, præter modo discussam, eamque, quæ 33. an. inceptos tuetur. Quæ quidem, neque auctoritate destituitur: nam eam tradiderunt Apollinaris Laodicenus, Epiphanius, & fortasse Eusebius: huic vero pariter, ac illi favent, qui 33. annos, aut plus 30. indeterminate habent. Quare alias omnes rejiciendas; has vero æquè omnino probabiles esse censemus. Hinc

(*a*) Lib. 4. Paulin. (*b*) Constat ex his, quæ de Baptismi, Mortis, & Nativ. annis statuimus.

Hinc ortam persuasionem illam satis communem, quam BENEDICTUS XIV. sapientissime asseruit *(a)* CHRISTUM mortuũ an. 33., quin ad hoc descenderet utrum incœpto illo, an exacto. Ex quo rursum eo devolvimur, ut CHRISTUM colligamus, vel anno Juliano 40., V. C. 748., vel 41. Juliano V. 749. esse ortum.

## §. IX.

## *De Notis omnibus Chronologicis Anni* CHRISTI *Natalis simul collatis.*

ET characteres quidem quotquot reperire potuimus hactenus excussimus omnes. Superest, quod in alia dissertatione fecimus, ut componamus hos simul, atque annum CHRISTI natalem constituamus; quem igitur inde annũ elicimus, quemque ex hactenus dictis, fructum colligimus? Annum quidem certum, definitumque nullum; fructũ vero maximũ, atque certissimum. Etenim ad annum CHRISTI ortus statuendum minus idoneos eos characteres vidimus, qui ex veterum opinionibus, aut ex Cyrini descriptione ducuntur; duos esse certiores de morte Herodis, & de bellorum cessatione: hic enim probat ante annum V. C. 748. CHRISTUM nasci non potuisse; fuerunt enim prius maxima, perpetuaque bella; ille non esse ortum CHRISTI differendum post annum 749., cum insequenti ante 25. Decembris Herodes sit mortuus. Itaque duo anni significantur, in quibus collocari CHRISTI nativitas potest V. C. 748., & 749.; neque quicquam praeterea quantumcumque caeteros characteres versemus, extundi ex illis potest, aut unus certus definiri; neq. vero sunt omnino inutiles. Etenim si Analyticorum more, hoc posito CHRISTUM anno 748., vel 749. V. C. Juliano 40., vel 41. esse natum, videamus quid inde hisce characteribus adhibitis consequatur, inveniemus mirifice id ipsum, quod statuimus confirmari. Sequitur enim CHRISTUM mortuum anno aetatis 33., vel exacto, vel inchoato: atqui id ipsum exhibet ille de CHRISTI morientis aetate Chronologicus character. Infertur etiam CHRISTUM anno 30., vel 31. decurrente baptizatum V. Æ. 26., vel 27., tria, vel quatuor post baptismum Paschata peregisse: omnia haec ex alio charactere de CHRISTI baptismo eliciuntur. Optime

(a) In adnot. ad sest. de Fer. VI. majer Hebd. num. 319.

me igitur reperitur fuiſſe a nobis alteruter ex illis annus conſtitutus; neque eſt hic exiguus diſputationis noſtræ fructus intra biennium choartaſſe vagum, incertumque apud alios Auctores natale CHRISTI tempus, qui ſententiis ſuis in alios præterea annos conjicere contenderunt. Sed erunt fortaſſe, qui nobis ſuccenſeant, quod longiori diſputatione eos tamdiu detinuerimus, nec certum annum CHRISTI nativitati præſtituerimus, huncque penè conviciis petant, atque efflagitent. Novi enim, *quod illud ægro ferent animo ii, qui certis quibuſdam, deſtinatiſque ſententiis addicti, & conſecrati, ea ſunt neceſſitate conſtricti, ut etiam, quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſa defendere,* ut ait Cicero (*a*): quos, quidem ſi alterutrum ex illis annis ſelegerunt, eo quod ſui inſtituti ratione ad unam aliquam amplectendam opinionem adigerentur, minime improbamus: oramus vero ne velint, & nos in eas conjicere anguſtias, a quibus ſuſcepti operis ratio nos eximit; cum enim ſingulos excuſſerimus characteres, & quid unuſquiſque ſeorſim, quid omnes ſimul indigitent ſincere protulerimus; etſi certi aliquid ipſi non exhibeant noſtro nos functos munere arbitramur: *hoc autem liberiores & ſolutiores ſumus quod integra nobis eſt judicandi poteſtas, neque ut omnia, quæ præſcripta & quaſi imperata ſint deffendamus neceſſitate ulla cogimur,* ut inquit idem Cicero (*b*). Neque hoc ad profectum ſcientiarum, amplificationemque valere, ſed perdere diſciplinas, atque evertere exiſtimamus, definire ſemper velle omnia, atque ob id tegere contraria argumenta, quæ vero faveant in bono lumine collocare. Atque hinc nimirum diſputationum tricæ, atque fallaciæ, hinc textuum mutilationes, explicationeſque longe accerſitæ. Denique hinc nobiliſſimarum diſciplinarum coruptela, de qua tantopere dolemus. Attamen nolim, quod aliquis hinc inferat; nos longa adeo diſſertatione nihil conſtituiſſe, definiſſe nihil, nullamque tradidiſſe ſententiam. Etenim noſtram utique, immo peculiarē, ni fallimur, veramque produximus, qua id ipſum aſſerimus: monumentis uſque modo in lucem prolatis, & argumentis ad hanc diem adhibitis alterutrum ex illis duobus annis ulla, vel probabili, veroſimilive ratione ſeligi non poſſe, cui CHRISTI Nativitas conſignetur. Hæc autem ſententia præter novitatem quandam, veritatemque tota diſſertatione, ut

(*a*) Lib. quæſt. Tuſcul.

(*b*) Lib. 2. Academ. Quæſt. 4. ex Nonio.

ut confidimus, comprobatam, illud habet emolumenti; ut stimulos addat Eruditorum animis, eosque incendat ad nova undequaque conquirendi monumenta, ut tandem, quod improbo labore tot summi viri non sunt assecuti perficiatur, & sicuti Mortis annus, ita, & ille Nativitatis certo, vel saltem probabili ratione definiatur. Interea hanc nostram quisquis tuto poterit amplecti, quæ & celebrioribus duabus opinionibus eum defert honorem, ut & solas, & æque omnino probabiles pronunciet. Cæteras autem si reiicimus omnes id pluribus inconcussis, validissimisque, ne dicam evidentibus argumentis factum est, quæ characteres ipsi suppeditarunt, & a doctissimis auctoribus jam pridem prolata sunt, quibus, ut diximus multũ debemus, eo quod ad tam angustos CHRISTI natalem annum, qui latissime etiam apud Patres divagabatur, terminos redegerint. Hos nos, ceterosque omni honore prosequimur; & si aliqua eorum placita repræhendere impugnare, aut reiicere contigit, id veritatis studio, & instituti nostri ratione coacti fecimus, quod nemo, ut confidimus nobis vitio vertet. Si quid autem studii, industriæ, diligentiæ, ad eas ipsas rationes elucidandas, firmandas, ac colligendas, quibus duobus annis 40., & 41. Jul., quinto, aut sexto ante V. Æ. illigatur CHRISTI natale contulimus, quod aliorum judicium erit, eos ipsos, quorum in dubium revocavimus sententias probaturos speramus.

Quamobrem, ut disputationem aliquando absolvamus, bene collocatam nostram operam, laboreque non frustra impensum arbitrabimur; si studiosę harum rerũ Juventuti, & Ecclesiasticę Historiæ præsertim in Collegio Romano Auditoribus, pro quibus initio, ut præmonuimus, illum suscepimus, ita profuimus; ut (quod eruditissimo horum Præceptori (a) in votis est, eisque aliis etiam in controversiis Ecclesiastica in Historia occurrentibus scite, docteque pertractatis identidẽ præmonstrat) assuescant certa ab incertis, vera a falsis discernere, omnia probare, quod a Majoribus summo consensu traditum est tenere, de cæteris sapienter dubitare; disciplinas, atque alias controversias ea ratione versare; ut momenta rationum in


(a) P. Petrus Lazari Soc. Jesu in Coll. Romano primus Historiæ Ecclesiasticæ Professor, cui plurimum sane est, quod debeo propter mihi studio, & eruditione sua præstita hisce in Dissertationibus elaborandis.

in utramque partem hactenus inventa fide, diligentiaque proferant, atque perpendant, ut quo auctorum progressa sit, ac pervenerit industria, quid ab aliis expectetur, quis pateat eorum studio, & labori locus dignoscant. Id nos in hac Chronologica omnium impeditissima quæstione præstitisse persuasum habemus. Quod fortasse etiam hisce in disciplinis provectioribus usui esse poterit. In prima quidem dissertatione annum CHRISTI mortis definientes, novaque detecta via confirmantes aliquid juvasse eos credimus, qui de eo hactenus ambigebant, potiori sublata dubitandi ratione: non nihil hac secunda eis profuisse, quos, vel antiquorum placita, & auctoritas, aut aliquorum recentiorum (a) conjecturæ, pravèque subductæ rationes adduxissent; ut duorum illorum annorum terminos excederent, & iis præcipue, quibus CHRISTI natalis annus certus, ac definitus erat, seque eum probe tenere, & scire arbitrabantur, quorum tandem illud altè animo dimittendum oculis obiicimus, quod ex Solone Terentianus ille Dameta retulit (b).

*Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,*
*Quin, res, ætas, usus semper aliquid apportet novi,*
*Aliquid moneat; ut ea, quæ te scire credas, nescias.*

(a) Nimirum si qui sequitur sententia, vel Lamy, vel Honorati, vel Harduini, aut Mas.

(b) Terent. Phorm. Scen. 3. Act. 2.



| Pag. | Lin. | ERRATA | CORRIGE |
|---|---|---|---|
| 1. | 28. | ουκ ἐστι | ουκ ὄντα |
| 2. | 12. | amortalem | amortualem |
| 2. | 8. | emẽdatione | emendatione |
| 8. | 24. | et | atque |
| 12. | 20. | mensis dies | mensis dia |
| 18. | 03. | 18 | 28 |
| | 24. | 19 | 29 |
| 20. | 4. | quæ nequaquam | qua nequaquam |
| | 16. | temp. con | temp. corr. |
| 22. | 24. | illa tãtopere | ille tantopere |
| | 28. | μηνος ἀφροιζομένε | μηνὸς ---. -- ἀφροιζομένυ |
| 24. | 2. | mense | mensi |
| | 11. | ὥασω | φασὶν |
| 23. | 28. | seorsim | seorsum |
| 28. | 37. | τῷ αὐτῷ | τὸ αὐτὸ |
| 30. | 18. | quod idem | qui idem |
| 31. | 10. | ανασιμφ | ἀναςάσιμφ |
| 32. | 30. | δευτεροπρώτω | δευτεροπρώτῳ |
| 33. | 11. | statuerat | statueret |
| 34. | ult. | atque | astque |
| 66. | 13. | σεβάζεσθαι | σεβάζεσθαι |
| 72. | 18. | quem | quod |
| 73. | 1. | βασιλαίας | βασιλείας |
| 72. | 11. | quæ | quod |
| | 17 | defectas | defectas |
| | 18. | doloris | dolosis |
| 75. | 26. | firmatum | confirmatus |
| 71. | 8. | Dodvvellus | ut Dodvvellus |
| 79. | 2. | utrumque | utcumque |
| 80. | 8. | antiqua Evãgelio. | antique ob Evangelio |
| | 8. | essignet | essignent |
| 84. | 28. | aliique primũ | aliique, habebis enn. primum |
| 81. | 28. | expressione | axpressisse |
| 91. | 26. | errorem | erroris |
| 94. | 6. | anno, qui | anno, quo |
| 96. | 2. | ominibus | omnibus |
| 96. | 26. | incidit | incidat |
| 98. | 27. | hisque | hicque |
| 109. | 2. | igenio | ingenio |
| 112. | 2. | arbitratum | arbitretur |
| | 14. | annis 13. annus vero Aug. 42., quem | an. 18. Itaque apud Græcos hos celebrior fuit annus Aug 42., quem |
| 123. | 6. | atque & | & |
| | 24. | 36 | 63 |
| | 28. | se | sed |
| 126. | 32. | designarent | desigerent |
| 128. | 27. | Atqui hæc | Atque hinc |
| 130. | 9. | quæ | quem |
| 133. | 24. | sedavit | Augustus sadavit |
| | 29. | quo | in quo |
| 134. | 18. | quam quæ | quamque |
| 136. | 14. | Archivia | Archiva |
| | 26. | braviarium illum | bravierium illud |
| | 28. | eamque | eumque |
| | 14. | ea | eo |
| | 11. | demandatam | demandatum |
| 137. | 1. | Ζυρίας | Συρίας |
| | 2. | ἐνι ἐθνία | ἐν Ἰυδαίᾳ |
| | 4. | Voluminum | Volumnium |
| | 8. | est | esse |
| | 8. | putaret | putaretur |
| 138. | 10. | inquiam | inquem |
| 140. | 07. | uberius | uberius Plinius |
| 142. | 38. | μᾶλλον ρο | μᾶλλον δὲ |
| 143. | 12. | productum | producunt |
| | 19. | χωμὼν | χειμὼν |
| 147. | 6. | fidem | finem |
| | 02. | malagramatis | malagmatis |
| 149. | 19. | petitionis | petitiones |
| 150. | 18. | regione | a regione |
| 151. | 18. | levide | levi de |
| | 21. | promovent | promoveret |
| 152. | 13. | numerus quẽ | numerus, quos |
| 154. | 02. | scirpio | scirpo |
| 153. | 28. | elucessit | elucet |
| 156. | 16. | spectasse necesse est | spectasset necesse est |
| | 22. | ΗΡΩΔΗΓ ΤΕΤΡΡΧΗΓC | ΗΡΩΔΗC ΤΕΤΡΑΡΧΗC |
| 157. | 20. | anni 753. | anni 781. |
| 159. | 19. | qui oculis | qui cum oculis |
| 161. | 7. | afferunt | offerunt |
| 170. | 4. | sententia | fautentias |
| 173. | 3. | ostendat | ostandant; |
| 178. | 20. | viderent | videret |
| 179. | 02. | cum | cum |
| | 18. | qui pro Christi | qui Christi |
| 183. | 1. | olias | alius |
| | 13. | nihil tamen idem | nihil tamen inde |
| 186. | 1. | ut illo | ut ut illa |
| | 21. | discrepare | discrepant |
| 188. | 13. | exhibent | adhibent |
| | 13. | porticorum | porticuum |
| 189. | 8. | ne quidem enim | neque enim |
| 190. | 6. | Judeam, hinc | Judeam, apparet hinc |
| | 11. | Pilati | Pilatum |
| 191. | 21. | Magis | magis |
| | 30. | in specia | in speciam |
| 208. | 16. | dimittendum | demittendum |
| | 18. | Dameta | Demea |
| | ult. | Terent. Phorm. Scen. 3. Act. 2. | Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 4. |

Omittimus quæ legentem minus turbant, & quivis per se corrigere facile potest, ut *comprehendere*, *Scaliger*, *Ethrodones*, *Academias defensores*, *supremus*, *monumentorum*, *præterea &c.* item perturbatum in Astronomicis supputationibus Elementorum ordinem, cum e pluribus columnis in quibus erant in autographo descripta in duas Typographus transferret.

